

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

Natales Sanctorvm Candidissimi Ordinis Præmonstratensis

Sterre, Jean Chrysostome van der


Antverpiæ, Anno M.DC.XXV.


urn:nbn:de:hbz:466:1-37161




Th. 2315.


RIV
6










UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN











Memento prepositorum vestrorum

Qui vobis loquuti sunt verbum Dei.

NATALES
SANCTORVM
 Candidissimi ordinis
 Præmonstratensis.

Publicabat
 R.P.F. IOANNES CHRYSOSTOMVS
 VANDER STERRE
 in S. Michaelis Prior.

Accessit
 LAVDATIO FVNEBRIS
 Ill^m ac Reu^m IOANNIS LOHELII,
 ex eodem Ordine nuper
 Archiepiscopi Pragensis.

S. P. NORBERTVS.

S. M. WALTMANNVS.

ANTVERPIÆ,
 APVD GERARDVM WOLSSCHATIVM.
 Cum Gratia et Privilegio.

ANNO M. DC. XXV.

Collegii Sociis IESV Padiborna 1697
 dona R. Klappm. b.

VATIL
S ANCTORVM

Constitutum ordinis
Hermannianus

LEONARDUS
VANDER STERRE
M. D. C. C. C. C.

AVATIO
LAVATIO
ILL. G. DEU. RANXIA
ex eodem Ordine in per
V. M. C. C. C. C.

ANTWERP
M. D. C. C. C. C.

M. D. C. C.

2000
2000

NATALES
SANCTORVM
CANDIDISSIMI ORDINIS
PRÆMONSTRATENSIS.

Publicabat

F. IOANNES CHRYSOSTOMVS STELLA,
in S. Michaële Prior Antuerpiæ.

Accessit

LAVDATIO FVNEBRIS

*Habita Praga, in Anniuersario Ill^m & Reu^m IOANNIS
LOHELII, sanctæ memoria Pragensis nuper Archi-
episcopi, ex eodem Ordine Præmonstratensi.*

Obijt cum opinione sanctitatis A^o M. DC. XXII.
iv. Non. Nouembris.



VENERABILIBVS
ET RELIGIOSIS
PRÆMONSTRATI ORDINIS
CANONICIS,

FRATRIBVS SVIS IN CHRISTO
CHARISSIMIS.



QVOSDAM selegi, quos hie
vobis adfero, Æterni Veris
Flosculos, cælestis Paradisi
delicias, poma quædã Spon-
sæ noua & vetera: MANIPV-
LVM (inquam) Sanctorum
aliquot, ex ijs, qui quinque
iam sæculis Præmonstratensem nostrum Cano-
nicum Ordinem, rebus pro Dei gloria magni-
ficè

2
P R Æ F A T I O.

ficè gestis illustrârunt. Eorum hoc Syntagmate
NATALES, additis quibusdam Elogijs, quæ vel
ex ipsorum gestis historijsque manuscriptis, vel ex
antiquis Registris, vel certe ex ipsis Auctoribus,
qui eorundem Sanctorum meminerunt, fideliter
desumpsi; RR. VV. exhibeo: vt interim quod
ea, quæ pro bona superiorum voluntate, de ijs-
dem fufius publicaturus sum, sub incude, & præ-
lo sudant; hisce velut quibusdam spiritualis gulæ
irritamentis, non tam restinguatis orexim,
quam exacuatis.

Fuerunt hi, dum viuerent, Sancti, mortalis
corporis circumdati induijs, commilitones
quondam vestri: eundem vobiscum Candi-
dum habitum detulerunt: idem Præmonstrati
Ordinis Canonicum institutum tenuerunt: in
eadem palæstra desudarunt: in eodem vobiscum
stadio cucurrerunt: & per easdem, quibus insisti-
tis, religiosæ vitæ semitas, Euangelicam perfectio-
nem consecrantes, ad fœlicitatis æternæ bra-
uium peruenerunt. Iam autem postliminò ad
Vos redeunt, Fratresq; suos charissimos reuifere
gestiunt; quod magnâ suâ cum voluptate præ-
claros

P R Æ F A T I O.

claros vestros è cælo conatus aduerterint, quos indefesso studio collocatis, in veris ac solidis virtutibus conquirendis, in congregandis cælestium gratiarum diuitijs, in prosequenda Christiana iustitia, & Sanctitate veritatis.

Iucundum illis fuit, iam dudum in Vobis obseruare inflammatum illud vestrum mortificationis studium, summum puritatis amorem, orationis & meditationis rerumque diuinarum accensa desideria, Vocationis vestræ tam sublimis, accuratam quam habetis rationem, infractū deniq; laborē, quo satagitis veteri vitæ, & omnibus visibilibus mori, ac noua fieri creatura in CHRISTO, cum quo tandem, & per quem, salutari charitatis vnione, tota vita vestra absorbeatur in DEO.

Sunt hi gradus mysticæ illius scalæ Iacob, per quos illi ad tantam in cælis gloriam ascenderunt. Illi sese in omnimoda propriæ volūtatis abnegatione, ac diuinæ perfectissima exequutione viriliter exercuerunt, optimè conscij in hac sola perficienda veram animæ vitam contineri. Germinarunt illi in Diuina hac Voluntate tanquā totidem Flores Rosarum, aut Lilia cōuallium, & in

P R Æ F A T I O.

hanc adoleuerunt Sanctitatis maturitatem ; quâ Deo facti sunt adeò amabiles , mundo tam admirabiles: Ecclesiæ tam fructuosi, & cælo gloriosi. Quia autem Vos eodem hoc vident Sanctitatis desiderio affici, & in eodem perfectionis Spiritu respirare; ideò è cælo Vos denuò reuisunt, illam hîc in terris familiaritatem auspicari gestientes, quam in cælis æternùm continuabitis.

Volupe illis erit antiquas iterum vobiscum Cœnobiorum suorum sedes visitare, in quibus se veterem hominem aliquando exuisse iucundè meminerunt: Claustrorum sacras officinas perambulare, in quibus commentationibus diuinis gnauiter vacarunt: Templorum Sacraria repetere, quæ tanta cum alacritate frequentarunt noctu & interdium diuinis laudibus intenti: Cellas denique suas iteratò perlustrare, testes gemituum & lachrymarum, testes flagellorum & disciplinarum, testes solitudinis & silentij, testes sacrorum studiorum & bonorum operum, quibus ibidem mundo incogniti latitantes, sese absconderunt in abscondito faciei Domini à conturbatione hominum.

Fru-

Fructus itaque, quem ex hoc meo qualicumque conatu celebrandi Sanctos Ordinis nostri, in vobis colligere affecto; hic erit: quatenus visis hisce perfectionis exemplaribus, & vos eadem cogitatione armemini, ad eorundem infatigabili passu sectanda vestigia, atque adeo, dum hosce meos NATALES nunc Vobis exhibeo, spiritali quâdam ratione imitari cupio, quod olim cum ouibus suis præstitit sanctus Patriarcha Iacob. Ille enim virgas populeas, & amygdalinas decorticauit, & in canalibus, è quibus oues bibebant, posuit, ut cum venissent greges (inquit Scriptura Genesis 30.) ad bibendum; ante oculos haberent virgas, & in aspectu earum conciperent. In illa vestra siti iustitiæ, quâ ad hauriendas illas viuas aquas properatis, quas Samaritanæ promisit CHRISTVS, quæ in bibente fontem excitant salientem in vitam æternam; hosce Vobis Sanctorum Fratrum vestrorum NATALES, tanquam totidem virgas propono. Virgas quidem; quia tanquam virgulæ fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris & vniuersi pulueris pigmentarij per huius sæculi desertum rectâ cælos petierunt: varias autem

tem; quia cum omnis gloria filiæ Regis sit ab intus in fimbrijs aureis, exterius tamen circumamicta est omniū virtutum varietate: alias quidem virides; propter illibatum castitatis & innocentiae virorem, quem numquam vel foedæ libidinis vel mortalis peccati pruina decoxit: decoratitas denique aliquas; tum propter corporis dilacerationem & mortalis vitæ excarnificationem in Martyribus, tum propter veteris hominis perfectissimam expoliationem in Confessoribus: vt eas ante oculos habentes, in earum adspectu eundem sanctitatis affectum concipiat. Magno enim Gregorio teste lib. 21. *Moralium* cap. 1. Virgas virides, amygdalinas, atque ex platanis, ante gregum oculos ponere, est antiquorum Patrum vitas, atque sententias, in exemplum populis præbere. quatenus ex variarum virgarum intuitu, varios etiam Sanctorum operum foetus concipiant, & concinnâ illâ virtutum omnium varietate exterius vestiantur, quâ Sponsi cælestis oculis mirificè placeant.

Magnus ille mundi Colonus & Pastorum Princeps DEVS, cum populum suum & oves pascuæ

P R Æ F A T I O

pascuæ suæ, in æstu cupiditatum huius, & ardore libidinum, duo illa grandia, in celo obstupescente patrantem vidisset, quod illum derelinquerent fontem viuum, venam aquarum viuentium, & cisternas sibi foderent dissipatas, quæ continere non valent aquas, ac ad fætidas properarent peccatorum lacunas; quo salubriter eos ab incepto reuocaret; viridem illam Virgam ex Iesse radice prognatam, Unigenitum filium suum IESVM, exortum tanquam virgultum de terra sitienti, per flagella decorticutum, per passionem mortis deformatum, non habentem speciem neque decorem, peccatorum oculis in æstu sæcularium suorum desideriorum assiduè ingerit; quatenus ab eius conspectu concepto timore Domini, parturiant & ipsi Spiritum salutis. Idipsum etiam præstat, dum peccatoribus conuertendis, Ecclesiæ fætibus multiplicandis, ijsque virtutum varietate exornandis, Sanctorum suorum Exempla præfigit, qui corporum suorum & rerum omnium labentiũ pallio in manu Adulteræ relicto, nudi potius cum Iosepho aufugere maluerunt; quàm peccare in conspectu Domini.

B Hac

Hac itaque de causa hocce vobis Præmonstratensium Sanctorum NATALES inscribere visum fuit. Quin & in hoc Indiculo perspicere poteritis, quem quisque Sanctorum totius anni diem, felici suo transitu & morte pretiosâ consecrauit: quatenus diuinam in eo bonitatem collaudetis, quòd gratiæ suæ diuitias, æternâ in eis misericordiâ coronauerit.

Alteram insuper instituti mei in hoc Tractatu vulgando hanc rationem habete, quòd cum iuxta indultam à Reuerendissimo Generali facultatem (cuius Diploma inferiùs subiungitur) exornandos mihi potissimum delegerim Viros ex Ordine nostro Sanctitate illustres; nec mearum virium sit, qui varijs obedientiæ vinculis constrictus, inter Cœnobij mei parietes hæcenus latito, omnia illa scire, quæ alibi, potissimum in remotioribus partibus acciderunt: cum multa in ipsa Carthagine sanctus Augustinus libro 22. de Ciuitate DEI capite 8. narret euenisse, quæ etiam ipsa Carthago nesciret; hinc obnixè rogatos vellem DD. meos RR. & Fratres in CHRISTO charissimos, quatenus cognitâ
inopiâ

inopiã meã ex hoc Sanctorum Ordinis nostri Syllabo, quem hîc euulgo; eandem suis in hoc genere diuitijs subleuare dignentur, ex Cœnobiorum suorum Archiuis submitiendo, quæ pro Ordinis splendore factura cognouerint, eos etiam Sanctorum NATALES suggerendo, quos hîc non deprehendunt, aut si quos eorum non suo die collocatos aduertunt: communicando præterea si quas ex Scriptoribus aut Archiuis collegerint obseruationes, Cœnobiorum fundationes, piarum donationum Chartas antiquas: si quæ Pontificum aut Principum Rescripta, vel suis Cœnobijs vel toti Ordini indulta, quibus tum supradicti NATALES, tum Tractatus illi quos vel prælo iam aptatos habeo, vel propediem habiturus sum, illustrari possent. Etsi enim quotidie plura mecum ab Amicis pro affectu iuuandi studia nostra, communicentur; plurima tamen varijs in locis adhuc latere non dubito. Quare maiorem in modum Vos iterum rogo, ne vobis comperta in publicum Ecclesiæ ac Familiæ nostræ Norbertinæ decus nobiscum communicare grauemi-

ni. Equidem dabo operam vt apud gratum memoremque positum beneficium aliquando agnoscat: certi interim, quod præter obedientiæ meritum, quo, Reuerendissimi Generalis præcepto in citato inferius Diplomate expresso, satisfaciendo, ditandi estis; Sanctorum insuper vobis è cælis patrociniū conciliabit.

Sunt autem hi TRACTATVS, qui prælo propemodum maturi, & lucem DEO benè fauente etiamnum hoc anno videre possent:

1. SIDERA Illustrium aliquot & Sanctorum Virorum, qui Præmonstratensis Ordinis cælum heroicis virtutibus decorarunt. Suntque variæ Sanctorum Ordinis nostri Vitæ ab aliquot sæculis conscriptæ, & iuxta manuscripta varia recensitæ, ac Notationibus illustratæ.

2. HAGIOLOGIVM PRÆMONSTRATENSE. Siue Fasti sacri Sanctorum ex Præmonstratensi Ordine Sacris Natalibus consignati. Ex hoc desumpti sunt iidem ipsi NATALES quos hoc Tractatu publicamus: in quibus variè illustran-

strandis per Notationes & Scholia, inque reddendis rationibus omnium eorum, quæ in hisce Elogijs continentur, quibus etiam sæpè intextuntur varia antiqua Rescripta, & piarum donationum Chartæ ex Archiuiserutæ nec hæctenus in lucem editæ; HAGIOLOGIVM absolvitur.

3. PRÆMONSTRATENSE CHRONICON Ecclesiæ nostræ Sancti MICHAELIS Antuerpiensis. In quo præter Cœnobij huius Abbates ab ipso Beato P. WALTMANNO Primo Abbate, vsque ad illum qui modo laudatissimè gubernat, admodum R. D. D. MATTHÆVM IRSELIVM Ecclesiæ huius Prælatum Quadragesimum, per omnes Fundati Ordinis & singulorum Prælatorum annos, habitâ accuratâ Chronologiæ ratione, docebitur quæ Romanorum Pontificum, & variorum Principum ac Regum Rescripta & Priuilegia, non solum huic Antuerpiensi Cœnobio, sed & toti insuper Ordini, & alijs etiam nonnullis Cœnobijs, quantum mihi nôsse datum erit, indulta sint. Quinam toto Ordine viri Sanctitate aut doctrinâ illustres floruerint ac obierint: quidquid de-

B 3 nique

nique hic vel alibi memoratu dignum acciderit, quod Lectorem & scire expediat, & audire delectet.

Triplicem hunc Tractatum, quorum quilibet iusti voluminis magnitudinem complectitur, tanquam Velites quosdam suo tempore, DEO & vitâ comite subsequetur, quem alibi subinde promittimus,

4. Candidæ IESU Militiæ, de mundo conculcato, Dæmone superato, cælo expugnato
TRIVMPHVS.

Hæc erant RR. DD. de quibus Vos præmonitos volebam, quatenus huic qualicumque conatui nostro pro illustrandis Ordinis rebus, beneuolo concurrentes affectu, quæ in hunc finem conducentia vobis deprehensa sunt, tempestiuè communicare dignemini, quatenus ea vel suis locis in dictis Tractatibus inseri, vel certè in Auctarium quoddam congeri possint.

Denique visum fuit admodum Reuerendo Domino Prælato meo, non ingratum fore, si per modum prægustus cuiusdam, ex HAGIO-

LOGIO

LOGIO meo ad Quartum Nonas Nouembris, quo foeliciter ante biennium ad cælos migravit Illustrissimus Princeps ac Reuerendissimus ex Ordine Præmonstratensi assumptus Pragensis Archiepiscopus, sanctę memorię IOANNES LOHELIVS, Laudationem funebrem in Anniuersario Depositionis eius Pragę habitam, vobiscum communicarem; quã maioris fidei gratiã ijsdem ipsis verbis, quibus illa in celeberrimo Illustrium Virorum ac Prælatorum confessu ibidem nuper dicta est, ad illustrandam huius viri beatam memoriam tam loco citato in HAGIOLOGIO, quã hîc inferiùs Vobis subijcio: vt cognoscatis etiamnum viuere magnum illum DEVM Sanctitatis omnis Auctorem, nec esse abbreviatam manum Domini, quæ tam recenti memoriã diuitias glorię gratiæ suę Illustrissimo LOHELIO adeò liberaliter communicauit.

Viuunt etiamnum in Ordine hoc sacro (vt à fide dignis testibus mihi significatum) illustres Animæ magnis DEI benedictionibus præuentæ, varijs cæli fauoribus cumulatae, & non dubijs

bijs Sanctitatis indicijs conspicuæ, de quibus modo fileo: erit enim aliquando (vt spero) quòd ijsdem in tuto locatis, & beatâ immortalitate donatis, earum laudes cum diuinæ gloriæ incremento secure deprædicemus. Valete & fauete.

Antuerpiæ, xvii. Kal. Maij, qui est dies B. P. WALTMANNO, primo ad Diti Michaëlis Abbati natalis. Anno M. DC. xxv.

RR. VV. Seruus in CHRISTO
& Frater,

F. IOANNES CHRYSOSTOMVS
VANDER STERRE, in S. Mi-
chaële Prior.

FACVL-

FACULTAS

REVERENDISSIMI DOMINI

D. ABBATIS ARCHICENOBII

Præmonstratensis, & totius Ordinis

Candidi Generalis.

PETRVS GOSSETIVS Christianissimi Francorum Regis Consiliarius & Eleemosynarius, DEI & Sanctę Sedis Apostolicę gratiã Præmonstrati Abbas, totiusque Canonici Præmonstratensis Ordinis Caput & reformator generalis, omnibus quorum intererit Salutem, Pro parte Reuerendi admodum Domini vti Confratris nostri D. Abbatis Sancti Michaëlis Antuerpiensis nuper exhibita nobis petitio continebat, quatenus concedere dignaremur Facultatem F. IOANNI CHRYSOSTOMO VANDER STERRE, sacre Theologię Baccalaureo formato, & dicti Monasterij Suppriori, in lucem producendi quę de vita Sanctissimi Patris nostri NORBERTI conscripsit, nec non alia concernentia Sanctos Ordinis nostri, si modò erunt eiusmodi, vt splendorem aliquem Ordini adferre possint: Nos igitur qui nihil æquè in votis habemus, quàm vt eius eximia Sanctitas

C

ctitas

etas & vitæ ornamenta toto celebrentur orbe, qui
 nobis Canonice religionis Author fuit, & Præmon-
 stratensis huius Sedis Conditor & nominis Institutor.
 Quam sanè ad rem non parum conferre arbitramur
 eorum illustrationem litterarum monumentis qui tanti
 Patris gentini filij eandem quam ille vitæ formulam
 idem Institutum tenuerunt, & petitionem huiusmodi
 pro parte præfati Reuerendi Abbatis gratam, ratam &
 acceptam habentes, & dicti CHRYSOSTOMI laborem
 & industriam plurimùm laudantes, cuius hætenus
 nobile nobis specimen dedit excudendis virorum Or-
 dinis nostri sanctitate illustrium Iconibus & Enco-
 mijs, ad eorum memoriam ab obliuione vindican-
 dam; Eidem tenore præsentium prout petitur, quic-
 quid de vita Sanctissimi Patris NORBERTI, & ge-
 stis Virorum qui sub instituto NORBERTINO &
 Præmonstratensi nomine floruerunt, & omnino quic-
 quid de nostri Ordinis exordio, causâ, Origine, in-
 cremento, propagatione, Monasterijs vtriusque sexus,
 Authoribus, Alumnis, Fundatoribus, Pontificum &
 Principum priuilegijs, Regulâ & Instituto Canonico,
 dignitate & celebritate, alijsque eiusdem argumenti
 elucubratum, limatum & expolitum in manibus pro
 tempore præfati Reuerendi Domini Abbatis Parcens-
 is, vel Vicarij nostri pro tempore in Circaria Bra-
 bantiæ

bantiæ existentis approbatione, in lucem edendi & typis excudi faciendi facultatem concedimus & impartimur. Districtè præcipientes omnibus & singulis dicti nostri Ordinis Regularibus personis, vt prædicto CHRYSOSTOMO grato concurrentes affectu monimentorum quæ de præmissis edoceant, vltro ad Omnipotentis DEI gloriam & Ordinis nostri splendorem Breuia & tranlumpta apporrigant, vel saltem rogati & requisiti ne denegent. Datum in nostro Præmonstratensi totius Ordinis Archiccenobio die decimo-tertio mensis Augusti, Anno Domini millesimo sexcentesimo vicesimo.

*P. Gossetivs Abbas Præmonstratensis
& totius Ordinis Generalis.*

De mandato Reuerendissimi Domini D. mei Præmonstratensis.

F. Dominicus Gerardus Secret.

C 2

LICEN-

L I C E N T I A
 A D M O D V M R E V E R E N D I
 D O M I N I , D . A B B A T I S P A R C E N S I S
 R e u e r e n d i s s i m i G e n e r a l i s i n h i s c e
 p a r t i b u s V i c a r i j .

Ego *infra scriptus* Reuerendissimi Domini PETRI
 GOSSETII Abbatis Præmonstratensis, & totius
 Ordinis Generalis, in Prouincijs Brabantia &
 Frisia Vicarius, ex potestate per eundem Reuerendissimum
 Dominum, mihi specialiter ad hoc concessâ, permitto, ut
 NATALES Sanctoꝝ Candidissimi Ordinis nostri Præmon-
 stratensis per F. IOANNEM CHRYSOSTOMVM
 VANDER STERRE, in S. Michaële Antuerpie Prio-
 rem collecti, cum LAUDATIONE FVNEBRI in Anniuer-
 sario Illustrissimi ac Reuerendissimi IOANNIS LOHELII,
 Archiepiscopi Pragensis Ordinis nostri Præmonstratensis,
 habita, typis mandentur. In cuius rei fidem signavi, & sigil-
 lo nostro muniri curavi in Monasterio nostro Parcensi,
 4. Aprilis, Anno 1625.

IOANNES ABBAS PARCENSIS.

APPRO-

A P P R O B A T I O .

NATALES hos Sanctorum sacri Ordinis Præmonstratensis, F. IOANNIS CHRYSOSTOMI VANDER STERRE, eiusdem Ordinis Antuerpiæ Prioris operâ vulgatos, & HAGIOLOGIO suo præmissos, prælo dignos censui. Idemque iudicium esto de LAVDATIONE FVNEBRI, eaque Anniuersaria, Præfulis Illustrissimi IOANNIS LOHELII, Pragensium ex eodem Ordine nuper Archiepiscopi. Datum Antuerpiæ XII. Kalendas Aprilis, Anno M. DC. XXV.

LAURENTIVS BEYERLINCK
*S. R. E. Prothonotarius, Archipresbyter,
 & Librorum Censor Antuerpiensis.*



C 3 IN

IN MANIPVLVM
S. S. ORDINIS
PRÆMONSTRATENSIS,

Quem publicabat

V. D. F. IOANNES CHRYSOSTOMVS STELLA,
in S. Michaële Prior.

Fuge, euge Ætheris Incola beati
Felices Niuei Ordinis Parentes,
Felices Niuei Ordinis Clientes,
NORBERTI que Patris beata proles,
Quos nunc Curia Calitum recepit,
Quos nunc Candidus Ordo Candidatos
Æterna genuit perennitati,
Perenni dedit æuiternitati.
Stolis pergite Candidis amicti,
Seu de Virgine Carne Candidati,
Seu de Sanguine teste purpurati,
Seu de Dæmone splendidi trophæis:
Hac (reuoluite) valle lacrymarum
Misiſtis lacrymis per ora fuſis
Vita ſemina, ſenorisque pignus:

Sed

*Sed nunc gaudia sempiterna leti
 Metentes Superum, Manipulosque
 Portantes alacres beatitatis,
 Celi pascua & itis & reditis,
 Aeternum saturi poli Manipulis,
 Nec unquam saturi poli Manipulis,
 Sed en Calicolæ nouus MANIPLVS
 Vestro semine lacrymisque surgit;
 Et STELLÆ radio euocante, Messis
 Vobis posthuma crescit (vsque crescat)
 Vestris æmula calicis Manipulis.
 Si vobis igitur placent Manipuli
 Et vestri meriti Indolisque vestre,
 Hic vobis etiam est sacer MANIPLVS;
 Quem vos lumina celitesque Stella
 Vestro educite lumine & Calore,
 Nostrati socio calore STELLÆ
 Coniuncti facie benigniore;
 Vt iuncti radij, iubarque vestrum
 Nostro STELLÆ, animent, MANIPVLVMque
 Hunc maturius euocent sub auras.*

F. C. P. DE HERTOGHE, in S. Michaële
 Canonicus & Philosoph. Prof.

VENE-

VENERABILIS BEDA.

In Homil. Dominic. 3. post Pascha.

SICUT mulier nato in hunc mundum homine lætatur : ita Ecclesia nato in vitam futuram fidelium populo, dignâ exultatione repletur : pro qua eius natiuitate multum laborans & gemens in præfenti, quasi parturiens dolet. Nec nouum debet cuiquam videri, si natus dicatur : qui ex hac vita migrauerit. Quomodo enim consuetè nasci dicitur, cum quis de vtero matris procedens, hanc in lucem egreditur : ita etiam rectissimè potest natus appellari, qui solutus à vinculis carnis, ad lucem sublimatur æternam. Vnde mos obtinuit Ecclesiasticus, vt dies beatorum Martyrum, siue Confessorum CHRISTI, quibus de sæculo transierunt, NATALES vocitemus, eorumque solemniam, non luctuosa funebria, sed NATALITIA dicantur.

NATA-

NATALES
 SANCTORVM
 CANDIDISSIMI ORDINIS
 PRÆMONSTRATENSIS.

25. Decembris.

OCTAVO KALEND. IANVARIJ,
 quo solemniter recolitur Natiui-
 tas DEI ac Domini nostri IESV
 CHRISTI secundum carnem,

COMMEMORATIO foelicif-
 simi Auspicij Candidissi-
 mi Ordinis Præmonstra-
 tensis. Quando Beatissi-
 mus Patriarcha NORBERTVS,
 post plurima Apostolicæ vitæ in-
 D signia,

signia, Præmonstrato sibi cælitus à
beatissima DEIPARA candido ha-
bitu, & primi Cœnobij loco, acce-
ptâque à beato Hipponensium
Præsule AVGVSTINO aureâ Cleri-
corum Regulâ, vnâ cum collecto
suo Candido Sodalitio, solemniter se-
se votorum professione, in obse-
quium perpetuum paruulo IESV
nato consecrauit: & Dominicæ de-
scriptionis adinstar, in die Natalis
Domini, sub eadem & stabilitatis
in loco, & professionis gratia, ad il-
lam beatæ perennitatis ciuitatem,
cum nouâ sua & Candida militia
se se descripsit.

30. Decem-

30. Decembris.

TERTIO KALEND. IANVARI.

IN Cœnobio Wedinghausensi iuxta Arensbergam, Natalis beati RICHARDI Anglici, Canonici Ordinis Præmonstratensis: Cuius defuncti dextera, quam in conscribendis varijs voluminibus egregiè occupauerat, vigesimo post obitum anno, integerrima prorsus reperta fuit: & inter Sacras Sanctorum Reliquias honorificè adseruata.

-ATAI

D 2

31. Decem-




31. Decembris.

PRIDIE KALEND. IANVARI.

IN Sylua Boënenfi Cœnobio
Imontis sancti Martini, Beati Pa-
tris GARENBERTI, primi ibidem
Abbatis Ordinis Præmonstraten-
fis. Qui post præclara virtutum in-
signia, laudabilem vitæ sanctissimæ
cursum, beatâ morte terminavit.



NATA-


NATALES
SS. ORD. PRÆMONST.
MENSE IANVARIO
OCCVRRENTIVM.

2. Ianuarij.

QVARTO NONAS IANVARIII.


N Rotensi Sueuiæ Cœno-
 bio, Beati ODINONIS
 Abbatis Ordinis Præmon-
 stratensis. Qui mundi per-
 tæsus vanitatum suaui CHRISTI iu-
 go collum subdidit; & Præmon-
 strati Ordinis egregius propaga-
 tor, multos animarum manipulos
 foeliciter transmifit ad CHRISTVM.

D 3 *s. Ianna-*

5. *Januarij.*

NONIS IANVARIII.

IN ditone Falcoburgensi Natalis
Sancti GERLACI Confessoris &
 Eremitæ. Qui per austeræ pœni-
 tentiæ rigorem, in Candidissimo
 Præmonstratensis Ordinis amictu,
 beatum ibidem vitæ finem fortitus,
 plurimis etiamnum miraculis glo-
 riosus requiescit.

13. *Januarij.*

IDIBVS IANVARIII.

IN Cœnobio Ilmstadiano Beati
GODEFRIDI ex Comite Capen-
 bergensi Canonici Ordinis Præ-
 monstratensis. Qui cælesti facun-
 diâ S. P. NORBERTI permotus, re-
 pu-

pudiatâ sæculi militiâ & honorum
 Titulis; sub ignominia Crucis in
 Candido Præmonstratenfi Ordine,
 DEO vitæ suæ reliquū transcripsit:
 fundatisque de suis opibus, inelytis
 aliquot Cœnobijs, desiderio tabes-
 cens æternorum, lentâ ægritudine
 ad extrema perducitur, & nondum
 tricenarius, placidissimè beatam
 suam Animam exhalauit.

Decorative flourish

23. Ianuarij.

DECIMO KALEND. FEBRVARIJ.

IN Flandria Cœnobio SS. Cornelij
 & Cypriani iuxta Niniuen, B. AR-
 NOLDI à Swalma Pastoris Oppidi
 Niniuēsis & Canonici Ordinis Præ-
 monstratenfis. Qui cū ministeriū
 suū vitâ integerrimâ pluribus annis
 hono-

honorificasset; in pace obdormiēs,
à Principe Pastorum fidelis seruitij
stipendium accepturus, ad cœlos
foeliciter euolauit, post obitum mi-
raculis illustratus.



29. *Ianuarij.*

QUARTO KAL. FEBRVARI.

IN Cœnobio S. Michaëlis de Tre-
uiño iuxta villam majorem Dice-
cesis Burgenfis, B. REDIGVNDIS
virginis Hispanæ Ordinis Præmon-
stratensis. Quæ mundo crucifixa
cum concupiscentijs ejus, dum ri-
gorosis austeritatibus carnem subi-
git, velut inter spinas Liliū germi-
nauit; & mundo corde ac casto cor-
pore cœlesti Sponso mirificè pla-
cuit.

NATA-



NATALES

SS. ORD. PRÆMONST.

MENSE FEBRVARIO


OCCVRENTIVM.

2. Februarij.

QVARTO NONAS FEBRVARIIL.

IN Lotharingia Cœnobio
 S. MARIÆ in Nemore, B.
 SIMONIS primi eiusdem
 Ecclesiæ Abbatis Ordinis
 Præmonstratensis: cui cum Sancto
 Euangelico Simeone, post longæuæ
 vitæ laudabilem cursum, hoc sacro
 Purificatæ Virginis festo contigit,
 in complexu CHRISTI sui foelici-
 ter mori.

E 6. Fe-



6. *Februarij.*

OCTAVO IDVS FEBRVARII.

IN Marenfi Cœnobio iuxta Noue-
fium, Natalis B. HILDEGVNDIS
Comitiffæ Marenfis, Ordinis Præ-
monſtratens. Quæ marito orbata,
poſt viſitata Romæ Apoſtolorum
limina, cum ſe & ſua quàm deuotiſ-
ſimè DEO in Marenfis Cœnobij fun-
dationem conſecraſſet; eidem pri-
ma Antiftita, magnâ ſanctitatis lau-
de præfuit: Virginibuſq; ſacris ſuo
exemplo viam ad cælos præmon-
ſtrauit, varijs poſt mortem nobili-
tata miraculis.

9. *Fe-*

9. Februarij.

QVINTO IDVS FEBRVARII.

IN Cœnobio Fussenich Virginum
Ordinis Præmonstratensis, Na-
talis Beati ALDERICI Confessoris
Ordinis Præmonstratensis. Qui cõ-
culcatâ mundi gloriâ ex nobilissi-
mo Principe Franciæ, post visitata
Sanctorum limina, in hoc Cœno-
bio humilis factus Conuersus &
Subulcus, velut alter Alexius, mun-
do incognitus latuit: cuius defun-
cti corpus communi loco sepul-
tum, tertio exhumatum inuentum
est; quòd demum in Ecclesia, loco
illo quem cælesti luce DEVS aliquo-
ties designauerat, conditum fuit:
vbi nunc in Tumba eleuata hono-
rificè requiescit.

E 2 10. Fe-

10. Februarij.

QVARTO IDVS FEBRVARII.

IN Præmonstratenſi Archicœno-
bio Natalis B. P. HVGONIS Ab-
batis & primi poſt S. Patrem NOR-
BERTVM, totius Ordinis Præmon-
ſtratenſis Generalis. Qui inter pri-
mos Sodales eidem ſancto Patri Va-
lencenis adiunctus; ſanctorū ipſius
laborum pro amplificanda DEI
gloria fuit egregiè particeps; di-
gniffimusque poſtmodum habitus,
qui in Supremo totius Ordinis Ma-
giſtratu gerendo, ipſi fuſſiceretur.
Quem vti ſanctiffimæ vitæ inſigni-
bus, & magno promouendi Ordi-
nis zelo viuus expreſſit; ita nunc
beatâ ipſius in cælo gaudet Socie-
tate.

10. Fe-

10. Februarij.

QUARTO IDVS FEBRVARII.

IN Rotensi Cœnobio B. WILHELMI eiusdem Ecclesiæ Canonici Ordinis Præmonstratensis. Qui ab ipsis tenerioribus annis miro pietatis ardore succensus, quo vberior in sanctitate progressum faceret, in Candida S. NORBERTI familia CHRISTI iugo collum subdidit: in eaque per austeræ pœnitentiæ rigorē, per indefessum mortificationis studiū, per inuictæ patientiæ mirabiles triumphos, adeo eximiam mentis & corporis consecutus est puritatē ac vitæ innocentiam, vt gloriosissimæ DEI Matri, & sanctis Angelis familiaris, eorum visibili in terris apparitione subin-

E 3 de

de recrearetur. Qui tandem validis
 diuini Amoris succensus flammis,
 sed & in tribulationum excoctus
 fornace, purissimum spiritū suum,
 per mortem pretiosam (quæ illi per
 Angelum reuelata est) in manus sui
 Creatoris placidissimè exhalauit,
 qui nunc in eo misericordias suas,
 æternâ gloriâ coronauit.

~~~~~

12. Februarij.

PRIDIE IDVS FEBRVARII.

IN Capenberga Westphaliæ Cœ-
 nobio, Susceptio sacrarum Reli-
 quiarum B. GODEFRIDI eiusdem
 Ecclesiæ Fundatoris, & Canonici
 Ordinis Præmonstratensis.

15. Fe-

15. Februarij.

DECIMO-QUINTO KAL. MARTII.

TARVANÆ Morinorum Consecratio Beati MILONIS ex Abbate primo Cœnobij sancti Iudoci in Nemore, trigesimi Episcopi Taruanensis.



17. Februarij.

DECIMO-TERTIO KAL. MARTII.

IN Saxonia Natalis B. EVERMODI, Secundi Raseburgensis Episcopi, & Confessoris Ordinis Præmonstratensis, Apostoli Wandalorum. Qui Beatissimo Patri NORBERTO secundum se Sodalem adiungens, indiuiduus ipsi deinceps Comes adhæsit; & ex Præposito
san-

sanctæ **MARIÆ** Magdeburgensis, ferocibus **Wandalis** Antistes datus; plurimis tandem virtutibus & miraculis gloriosus, ad cælos migravit.

23. *Februarij.*

SEPTIMO KALEND. MARTII.

IN Capenbergensi **Westphaliæ** Cœnobio, **B. OTTONIS** eiusdem Ecclesiæ Tertij Præpositi Ordinis Præmonstratensis. Qui **B. Godefrido** & sanguine & pietate germanus, pro calcata mundi gloria, cælesti coronâ donandus, fœliciter migravit ad **CHRISTVM.**

28. *Fe-*

28. Februarij.

PRIDIE KALENDAS MARTII.

APVD Pruuinum transitus Beati
RAINERI Primi Abbatis sancti
Mariani Altissiodorensis Ordinis
Præmonstratensis. Qui cum esset
sacris literis egregie excultus, &
diutinâ virtutis exercitatione in
magnam profecisset sanctitatem;
aliquamdiu Præmonstrati Prioris
functus officio, à Beato HVGONE
primus Altissiodorensis Cœnobij
Abbas creatus est; & post præclara
virtutum insignia in pace quieuit,
varijs post obitum decoratus
miraculis.

F. NATA.



NATALES
 SS. ORD. PRÆMONST.
 MENSE MARTIO
 OCCURRENTIVM.


3. *Martij.*

QVINTO NONAS MARTII.

IN Frisia Beati Patris FREDERICI Primi Abbatis & Fundatoris Horti Mariani Ordinis Præmonstratensis. Qui præclarissimarum virtutum & miraculorum gloriâ longè lateque coruscans, post plurimos DEO collectos animarum manipulos, lætissimè inter Psalmos & Hymnos,

TERTIO IDVS MARTII.

IN tractus Mosellani Cœnobio dicto Angelica porta, Natalis Beatæ BEATRICIS Sanctimonialis Ordinis Præmonstratensis. Quæ blandientis mundi spretis lænocinijs, soli Sponso suo CHRISTO placere studuit: cui cum accensa bonorum operum lampade, inter cæteras prudentes Virgines ad cælestes nuptias obuiam processit.



15. Martij.

IDIBVS MARTII.

IN Viconia Natalis B. WALTERI Quercetani Abbatis eiusdē Cœnobij Ordinis Præmonstratensis.
Qui

Qui grandæuo Patri B. Radulpho
 Successor datus, præclarâ pietate
 Præfecturam suam decoravit: &
 post foelicem transitum, cælesti lu-
 minis irradiatione, Æternæ lucis
 consortium obtinuisse declaratus
 est.

~~~~~


22. Martij.

DECIMO KALENDAS APRILIS.

**I**N Boxumensi Frisiæ pago, Passio  
 Beati EELKONIS Martyris &  
 Abbatis Cœnobij Lidlumenfis Or-  
 dinis Præmonstratensis. Qui Diui-  
 ni Numinis gloriam, & collapsæ di-  
 sciplinæ zelans integritatem, im-  
 piorum manibus crudeliter truci-  
 datus occubuit; & ad Martyrij pal-  
 mam

F 3 mam


nam gloriosus victor euolauit. Cuius sanctitatem & mortem pretiosam, miraculis DEVS illustrare dignatus est.



26. *Marty.*

SEPTIMO KALENDAS APRILIS.

**I**N Siloënsi Bohemiæ Cœnobio Beati CASTALI Abbatis Ordinis Præmonstratensis. Cuius ibidē fons salutifer à circumiacentibus populis visitatur, & Sancti merita declarat: eiusque exhumatæ sacrae Reliquiæ in veneratione habentur.




29. *Marty.*

QUARTO KALENDAS APRILIS.

**W**ISMARIÆ apud Obotritos S. LVDOLPHI Episcopi ni

ni Raseburgensis & Martyris, Ordinis Præmonstratensis. Qui pro tuenda concreditæ sibi Ecclesiæ libertate, sub Alberto Saxonæ Duce gloriose decertans, per varia tormentorum genera, iam viribus profus exhaustus, cum requiem non haberet à facie persequentis, in hac vrbe Creatori suo spiritum resignauit. Cuius uti vita illustribus refulsit Sanctitatis exemplis; ita mors in conspectu Domini pretiosa, præclaris est nobilitata miraculis.



30. Martij.

TERTIO KALENDAS APRILIS.

**A**PVD Hascam in Frisia Natalis  
Beati DODONIS Eremitæ &  
Con-

Confessoris Ordinis Præmonstratensis. Qui in Mariani Horti Cœnobio, Candidi Ordinis factus Canonicus, & B. P. Siardi egregius discipulus; eius postmodum assensu solitariam vitam miro pœnitentiæ rigore instituit. Cuius sanctæ conversationis fama latè innotuit: & præter complura miracula, quibus à DEO illustratus fuit; etiam Sacra quinque CHRISTI stigmata mirabiliter sibi impressa habuit.



31. *Martij.*

PRIDIE KALENDAS APRILIS.

**A**PVD Iouinum Castrum in Burgundia, Natalis B. GVIDONIS, ex Eremita Fundatoris & Canonici

nici Cœnobij Viconiensis Ordinis  
Præmonstratensis. Qui Britannus  
patriâ genere nobilis, ordine Sacer-  
dos, vt liberioris vitæ expiaret ma-  
culas, in vicinam Valencenis Syl-  
uam DEO vacaturus secessit. Et san-  
ctitatis eius erumpentibus radijs,  
cùm multos in sui æmulationē per-  
traxisset; cùm ijsdem Præmonstra-  
tensi sese Ordini subiecit. Quique  
ab ineunte ætate se voluntariè pau-  
perem fecerat, post varios exantla-  
tos labores, etiam terræ sanctæ vi-  
sitata sacra limina, pauperum egre-  
gius consolator, migravit à sæculo,  
æternùm victurus cum CHRISTO.

G NATA-



NATALES  
 SS. ORD. PRÆMONST.  
 MENSE APRILI  
 OCCURRENTIVM.

4. *Aprilis.*

PRIDIE NONAS APRILIS.

**I**N Eyfflia Cœnobio Stein-  
 feldiensi Natalis Beati IO-  
 SEPH Presbyteri & Cano-  
 nici Ordinis Præmonstra-  
 tensis. Qui post præclara merito-  
 rum insignia, post annos quamplu-  
 rimos summâ vitæ innocentiâ trans-  
 actos, post creberrimas sibi diuini-  
 tûs factas reuelationes, post conti-  
 nuatam

nuatam ab ipsa infantia cum Regina cœlorum castissimam familiaritatem, post conseruatam integerrimi animi corporisque virginitatem, febri correptus lethali, eâque ad extrema perductus, in manus sui IESV spiritum eximiâ animi pietate commendans, erecto corde & vultu, ad æterna tabernacula foeliciter emigravit. Cuius sanctissimo interuentu, varij ad vitam mortui sunt reuocati, cæci illuminati, surdi sanati, phrenetici & hydropici curati, dæmones effugati, & plurima alia patrata miracula.


8. *Aprilis.*

SEXTO IDVS APRILIS.

**I**N Cœnobio Beatæ MARIÆ Bel-  
lipodij Diœcesis Vrgellensis in  
G<sup>2</sup> Cata-



Catalonia, Beati Patris IOANNIS de Orgaña, eiusdem Ecclesiæ Abbatis Ordinis Præmonstratensis: cuius uti vita eximiæ sanctitatis refulfit exemplis, ita sacræ eius Reliquiæ præclaris etiamnum sæpè decorantur miraculis.



12. *Aprilis.*

PRIDIE IDVS APRILIS.

**I**N Territorio Heusdano Natalis Beati FOLCOLDI Conuersi Ordinis Præmonstratensis, & Fundatoris Ecclesiæ Bernensis. Qui contemnens honorum Titulos, & Teisterbandiæ Comitatum in humilem Præmonstrati Ordinis commutans professionem, ut liberioris vitæ expiaret


piaret maculas; elegit magis abie-  
ctus esse in domo DEI sui, quàm  
habitare in tabernaculis peccato-  
rum.



14. *Aprilis.*

DECIMO-OCTAVO KAL. MAII.

**I**N Marenfi Cœnobio B. HADWIGIS Virginis, Ordinis Præmonstratensis. Quæ B. Hildegundis Comitissæ & Fundatricis Marenfis filia, post piam Matrem huic Cœnobio cum opinione sanctitatis Magistra prima præfuit.



15. *Aprilis.*

DECIMO-SEPTIMO KAL. MAII.

**I**N Antuerpiensi S. MICHAELIS Cœnobio Ordinis Præmonstratensis,  
G 3

tenfis, Natalis Beati Patris **W**ALT-  
MANNI primi eiusdē Ecclesiæ Ab-  
batis. Qui postquam in extermi-  
nanda Tanchelini hæresi egregiam  
cum **S. NORBERTO** & alijs eius  
Sodalibus nauasset operam; pri-  
mus ab eodem Antuerpiensis Cœ-  
nobij Abbas constituitur: & Præ-  
laturam suam, quam quindecim  
annis tenuit, non solùm heroicis  
virtutibus, sed magno insuper pro-  
mouendi Ordinis zelo decorauit:  
productisque ex suo **S. MICHAELIS**  
Cœnobio aliquot vtriusque  
sexus Monasterijs, ad repositam si-  
bi in cælo fidelium laborum merce-  
dem foeliciter euolauit.

17. April

17. *Aprilis.*

DECIMO-QUINTO KAL. MAII.

**I**N Brabantia iuxta Louanium Na-  
talis B. RABODONIS Canonici  
Ecclesiæ Parcensis Ordinis Præmon-  
stratensis. Qui inter cætera exem-  
plaris vitæ merita, dum rememo-  
randis CHRISTI cruciatibus, ferijs  
sextis in pane & aqua ieiunat: cæli-  
litùs sibi versam subinde in vinum  
aquam deprehendit.

20. *Aprilis.*

DVODECIMO KALEND. MAII.

**A**PVD Bincæium Hannoniæ op-  
pidum iuxta Bonæ-Spei Cœ-  
nobium, Natalis B. ODÆ Virginis  
Ordi-

Ordinis Præmonstratensis. Quæ  
miro Stratagemate mundi elusis  
amoribus, proque integritatis fide  
Sponso suo cœlesti data, plurima  
perpeffa; post contextas sibi varias  
patientiæ coronas, cum Virgini-  
bus sacris egregiâ sanctitate præ-  
fuisse; ad percipiendam inuiolatæ  
virginitatis Lauream emigravit.



22. *Aprilis.*

DECIMO KALENDAS MAII.

**I**N Viconiensi Hannoniæ Cœno-  
bio Natalis B. P. RADVLPHI ex  
primo Abbate Castelli in Maurita-  
nia, Viconiensis Ecclesiæ Prælati  
Ordinis Præmonstratensis. Qui pau-  
perum egregius benefactor, & ex-  
imiâ

imiâ lenitate conspicuus, cum Cœnobij sui res præclare promouisset; septimo regiminis sui anno Præfecturam Successori suo B. Waltero cessit: plenusque dierum & bonorum operum, iam nonagenarius ad cœlos migravit, varijs decoratus miraculis.

23. *Aprilis.*

NONO KALENDAS MAII.

SALISBURGI in Bauaria obitus sanctæ memoriæ ADALBERTI ex Canonico Strahouiensi Ordinis Præmonstratensis in Bohemia, Archiepiscopi Salisburgensis. Qui Vladislai II. Bohemorum Regis filius, Pragæ in Cœnobio Montis Sion Candidum Institutum amplexus,

plexus, eximiâ illud humilitate decoravit. Renitens autem Archiepiscopus factus, cum Alexandri Papæ III. partes contra Fridericum Imperatorem strenuè propugnaret, implacabile eius odium incurrit: cui ex Pontificis suafu ad pacem firmandam humiliter cedens, Archiepiscopatû ad tempus reliquit: donec tandem magnâ repetentium instantiâ in eodem denuò confirmaretur, quem mirâ in aduersis patientiâ, & insigni vitæ sanctimoniâ nobilitavit.

25. *Aprilis.*

SEPTIMO KALENDAS MAII.

**I**N Harenfi Campaniæ Brabantorum pago, Passio Beati PETRI à Calmp-

Calmpthout, ex Canonico & Circatore Ecclesiæ B. MARIE de Tongerloo, Pastoris in Haren Ordinis Præmonstratensis. Qui præciso ab hæreticis naso & aure dextrâ, cum in Catholicæ fidei confessione peristeret, in clamaretque se in eadem velle mori: Veritatē Orthodoxam quam verbo hæcenus docuerat, capite tandem crudeliter securi amputato, etiam sanguine obsignavit: & Præmonstrati Ordinis & habitus candorem, martyrio gloriosè purpuravit.








NATALES  
 SS. ORD. PRÆMONST.  
 MENSE MAIO  
 OCCURRENTIVM.

7. *May.*

NONIS MAII.

**I**N Milouicensi Bohemiæ  
 Cœnobio Beati GERLA-  
 CI Abbatis Ordinis Præ-  
 monstratensis. Qui vitæ  
 sanctimoniâ & miraculis coruscâs,  
 etiâ spiritu prophetico clarus quo  
 futura plurima prædixit, viginti  
 octo annos Milouicensem Eccle-  
 siam laudabiliter rexit. Post cuius  
 obi-

obitum multa pariter ad eius Tumbam contigerunt miracula: ita vt ægroti quiuis eam in fide & deuotione visitantes, fanitati pristinæ restituti sint.




11. *Maij.*

QVINTO IDVS MAII.

**I**N Cœnobio sancti Martini Laudunensis B.P. GVARINI Secundi eiusdem Ecclesiæ Abbatis Ordinis Præmonstratensis. Qui ex eiusdem domus Priore; Primus Viconiensi Cœnobio Abbas præfectus, illud magnâ sanctitatis laude rexit: postea verò ad Laudunensem reuocatus Ecclesiam, eandem comitante semper eum largâ Domini benedictione, per multos annos vitâ, verbo, & sollicitâ curâ gubernauit.

H 3 ber.

bernauit: pastoralis demùm sollicitudine gloriosus, ibidem sancto fine quieuit.



15. *Maij.*

IDIBVS MAII.

**I**N Viconia Transitus Beati IACOBI Nouitij Ordinis Præmonstratensis. Qui necdum solemnibus DEO votis adstrictus, & propter eximiam animi puritatem iam cœlo maturus; raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius; consummatuſque in breui expleuit tempora multa, placita enim erat DEO Anima illius. Cuius virginale corpusculum tribus ab obitu annis exhumatum, in virginitatis integerrimæ

mæ

mæ testimonium, incorruptissimum repertum est.

16. *Maij.*

DECIMO-SEPTIMO KAL. IUNII.

**I**N Cœnobio d'Aubterre in Aruernia B. PONCIÆ Virginis & Antistitæ eiusdem Cœnobij Ordinis Præmonstratensis. Quæ Sanctorum Parentum Gilberti & Petronillæ bis filia, Matri in Cœnobij regimine pari sanctitate successit, & maternæ virtutis hæredem, se egregiâ pietate comprobavit.

23. *Maij.*

VNDECIMO KALEND. IUNII.

**A**DVENTVS Reliquiarum B. P. SIARDI Quinti Abbatis Horti Ma-

ti Mariani in Frisia Ordinis Præmonstratensis; Quæ Antuerpiam aduectæ, in S. Michaëlis Cœnobio ingenti cum solemnitate, & magno populorum concursu honoratæ sunt; inde ad eiusdem Ordinis Cœnobium sancti Foillani translatae.

~~~~~

23. *Mayj.*

DECIMO KALENDAS IUNII.

RASEBURGI in VVandalia Beati WIPERTI Episcopi Ordinis Præmonstratensis. Cuius electioni, cùm propter minorennem ætatem Romanus Pontifex consentire nollet, immisâ ei diuinitûs vnâ nocte canitie, DEVS miraculo attestari dignatus est: quo viso in Episcopo-

—Mit

scopum Pontifex cōfirmavit; quem
tam evidenti signo DEVS à se com-
probârat electū: qui Ecclesiã suam,
libertatis Ecclesiasticæ vindex ma-
gnificus, optimè gubernavit.

24. *Mayj.*

NONO KALENDAS IUNII.


TRANSLATIO B. IOSEPH Pres-
byteri & Canonici Ordinis Præ-
monstratensis, ex Cœnobio Virgi-
num Cisterciensium ad Ecclesiam
Steinfeldiensem: vbi in magna ve-
neratione admirandis illustris mi-
raculis hactenus requiescit.

30. *Mayj.*

TERTIO KALENDAS IUNII.

IN Wortensi Virginum Cœnobio
Transitus beatæ memoriæ ONVL-

I PHI




NATALES
SS. ORD. PRÆMONST.
MENSE IUNIO
OCCURRENTIVM.

6. Iunij.

OCTAVO IDVS IVNII.

IN Antuerpiensi Ecclesia
Triumphus gloriosi Pa-
triarchæ nostri S. NOR-
BERTI. Qui eliminatâ fœ-
dissimæ Tanchelini hæreseos spur-
citiâ, fugatisque errorum nebulis,
clarissimo doctrinæ & sanctitatis
suæ iubare, admirabile Corporis &
Sanguinis CHRISTI Sacramentū,
eidem rursus intulit: & plurimis
I 2 ani-

animarum nobilitatus trophæis, victoricibus Romanæ fidei Aquilis, cæleste hodie Capitolium conscendit.



6. Iunij.

OCTAVO IDVS IUNII.

IN Nemore dicto de curua Fossa in Normannia, B. TANKEREDI Primi Prioris Ecclesiæ SS. Trinitatis de Lucerna Ordinis Præmonstratensis. Qui CHRISTO Cruci confixus, ita crucis mortificationem pro DEI gloria in suo corpore portauit; vt in ipsius morientis pectore Crux lactea in hora mortis apparuerit.

9. Iu-

9. Junij.

QVINTO IDVS IVNII.


IN Cœnobio Niniuensi Obitus B.
ARNVLPHI de Felfeca, Conuersi
 Ordinis Præmonstratensis. Qui opi-
 ficio Sutor, cœlestem in terris vi-
 tam agens, & Charitatis operibus
 mirificè intentus, diutini laboris sui
 dignam mercedem accepturus, mi-
 grauit ad Dominum.

12. Junij.

PRIDIE IDVS IVNII.

IN Bohemia Natalis Beati HROZ-
 NATÆ, ex nobilissimo Regni Pri-
 mate, Fundatoris Cœnobiorum Te-
 plensis & Chotieffouienfis, Cano-
 nici

nici Ordinis Præmonstratensis. Qui pro tuendis Ecclesiæ suæ iuribus contra impiorum conatus, ad mortem vsque agonizans, fame, siti que, alijs que teterrimi carceris exhaustus iniurijs, inter diuturna vincula DEO dignam Animam suam, Martyrij Laureâ illustrem exhalauit: varijs in vita & post obitum nobilitatus miraculis.




15. Iunij.

DECIMO-SEPTIMO KAL. IULII.

RASEBURGI Natalis B. P. ISFRIDI eiusdem vrbis Episcopi, & Confessoris Ordinis Præmonstratensis. Qui B. Euermodi in Episcopatu Successor, vt eiusdē fuit Candidi

didi instituti professor; sic nec virtutibus nec miraculis inferior: plurimumque in Wandalis ad religionem Christianam conuertendis, exemplo sui prædecessoris adlaborauit.



25. Iunij.

SEPTIMO KALENDAS IULII.

OLOMVCHII in Morauia Natalis B. HENRICI Olomucēsis Episcopi, Ecclesiæ Strahouienfis Canonici & Fundatoris, Ordinis Præmonstratēsis. Qui Vratislai Primi Bohemiæ Regis filius, à teneris annis religioni & pietati deditus, Olomucensē Ecclesiam, vir miræ sanctitatis & innocentiae, miserorumque singulare pro-

profugium, laudatissimè rexit: de-
 mum varijs pro DEI gloria, Sacer-
 dotum cælibatu, & pace publicâ,
 perfunctus laboribus; extractis
 pluribus pijs locis, gloriosus Ponti-
 fex ad cælos migravit.



27. Junij.

QVINTO KALENDAS IVLII.

IN Dom-martinensi Ordinis Præ-
 monstratensis iuxta Hefdinium
 Cœnobio, Passio B. IOANNIS de
 Hecque, eiusdem Ecclesiæ Canoni-
 ci & Prouisoris. Qui vitâ in Reli-
 gione integrè, inculpateque gestâ,
 sceleratâ hæreticorum manu, tor-
 mentarij pulueris cruciatu tostus,
 CHRISTI Victima effici meruit, &
 glo-

110



NATALES
 SS. ORD. PRÆMONST.
 MENSE IULIO
 OCCURRENTIVM.

4. Iulij.

QUARTO NONAS IULII.

RASEBURGI apud Wandalos B. VLRICI Blucherij, Episcopi Ordinis Præmonstratensis. Qui inter cæteras virtutes quibus mirificè resplenduit, pauperum erat consolator egregius, in eleëmofynis largus, misericordiæ operibus singulariter deditus. Cuius liberalitatem, DEVS illustri hoc miraculo comprobavit:
 quod


quòd Granarium suum, farinâ prius
& frumento plenum, quod in ege-
nos totum disperferat, ob insignem
in DEVM fiduciam diuinitùs iterum
totum plenum repererit. Qui pro-
pterea in lachrymas resolutus, DEO
prouisorio suo gratias immensas egit,
& pauperibus iterum abundè elar-
gitus est. Hisce aliisque virtutibus
ministerium suum honorificans,
Ecclesiæ suæ summa cum laude
præfuit.

6. Iulij.

PRIDIE NONAS IVLII.

IN Tongerloano Brabantiae Cœ-
nobio Translatio B. P. SIARDI
Abbatis Horti Mariani in Frisia
Ordinis Præmonstratensis. Cuius
K² vene-

venerādæ Reliquiæ innumeris pro-
pmodum in Frisia miraculis illu-
stratæ, ex Hildeneshemensi S. Ma-
riæ Magdalenaë Virginum Benedi-
ctinarū Monasterio, solemnī pom-
pâ hoc die Tongerloam translatae
sunt: vbi publicæ fidelium venera-
tioni expositæ præclaris iterum de-
corantur miraculis.



9. Iulij.

SEPTIMO IDVS IVLII.

APVD Brielam Hollandiæ oppi-
dum Passio BB. HADRIANI &
IACOBI Martyrum, Canonicorum
Ordinis Præmonstratensis Ecclesiæ
B. MARIÆ Middelburgensis in Ze-
landia. Qui per varias ab hæreticis
pro Catholicæ & Romanæ fidei
pro-

professione irrogatas iniurias, cum alijs aliquot eiusdem Triumphii Socijs, ad Martyrii palmam gloriosè agonizando peruenerunt; & Candidi Ordinis ambo, candidas in Sanguine Agni lauerunt stolas suas.

11. *Iulij.*

QVINTO IDVS IVLII.

MAGDEBURGI in Saxonia Natalis
 MSS^{mi} Patris nostri NORBERTI
 Patriarchæ Ordinis Præmonstra-
 tensis. Qui post abnegatas sæculi
 pompas, fætu nouæ prolis Ecclesiã
 fæcundans, sub auspicijs Virginis-
 Matris Canonicum suum, institu-
 tum inchoauit: & Candidæ IESV mi-
 litia Princeps factus, & Antesigna-
 nus,

K 3 nus,

nus, post extinctā Antuerpiæ Tanchelinianam hæresim, post Romanæ fidei per se & suos quàm latissimè prorogatas Aquilas, Magdeburgensium Archiepiscopus, totiusque Germaniæ Primas, innumeris pro DEI gloria, & animarum salute exantlatis laboribus, varijs auctus pro Ecclesiæ libertate patientiæ Coronis, plurimisque decoratus miraculis, Vir DEO dignus, de Ecclesia optimè meritus, Spiritu sancto plenus, quartâ post Pentecosten feriâ, beatissimo fine quieuit: cuius hâc die Solemnitas ex S. Sedis Apostolicæ auctoritate per totum mundum festiuè recolitur.

13. Iulij.

TERTIO IDVS IVLII.

APVD Scholam Aruerniæ vicum
in Cœnobio SS. Geruasij &
Prothasij, B. PETRONILLÆ eiusdem
Cœnobij Fundatricis & primæ An-
tistitæ Ordinis Præmonstratensis.
Quæ, cum marito suo S. Gilberto,
Candidi Ordinis amplexata disci-
plinam, sacris quibus præerat Vir-
ginibus, magnâ sanctitate præluxit.




14. Iulij.

PRIDIE IDVS IVLII.

IN Wedinghausensi iuxta Arnes-
bergam Cœnobio Diœcesis Co-
loniensis beatæ memoriæ HENRICI
Comi-

Comitis Arnesbergensis, eiusdē Ec-
clesiæ Fūdatoris, Ordinis Præmon-
stratēsis. Qui à DEO inspiratus, hoc
in loco Parentum suorum offibus
honorato, diuinum seruitium iuxta
Candidi Ordinis ritum perpetuò
peragendum instituit: depositisque
Comitatus insignibus, & spretis se-
culi pompis humilis factus Conuer-
sus, meritis diues. piè hîc in Domi-
no obdormiuit.



16. Iulij.

DECIMO-SEPTIMO KAL. AVGVSTI.

TARVANÆ Morinorum Natalis
Beati MILONIS, eiusdem vrbis
Episcopi & Confessoris, Ordinis
Præmonstratensis. Qui religiosæ
vitæ

vitæ tyrocinio Præmonstrati posito, à S. P. NORBERTO Primus Ecclesiæ S. Iudoci in Nemore Abbas datus, cum Prælaturam suam per decennium Angelicæ vitæ & humilitatis eximiæ exornasset insignibus; in Morinensis Ecclesiæ Cathedralam sublimatus est: eandemque pluribus annis Apostolico Spiritu decoravit.



24. Iulij.

NONO KALENDAS AVGVSTI.

IN Niniuensi Cœnobio beatæ memoriæ HESCELINIEIUSDEM Ecclesiæ Canonici & Supprioris Ordinis Præmonstratensis. Qui vitæ
L fan-

sanctimoniâ conspicuus, indefessè
portabat pondus diei & æstus:
menteque in cœlo suspensâ in Or-
dinis obseruantia adeò erat studio-
sus; vt mirum in modum in carne
ambulans, non secundùm carnem
militare videretur: sed quæ transi-
toria sunt respuens, super pennas
ventorum quodammodo volita-
ret.



NATA-



NATALES

SS. ORD. PRÆMONST.

MENSE AVGVSTO

OCCVRRENTIVM.

s. Augusti.

NONIS AVGVSTI.

ROMÆ in Esquilijs Dedicatio Basilicæ Sanctæ MARIÆ ad Niues.

Eodem die Commemoratio præmonstrati à gloriosissima Cœlorum Regina Candidi nostri Ordinis & Habitus, in Capella Sancti Ioannis Baptistæ Præmonstratensis.

L 2 *s. Au-*

nis Præmonstratenfis. Qui Lothar-
rij Comitis de Are & B. Hildegun-
dis filius, Comitatus Marenfi &
Arenfi præpofuit improperium
CHRISTI: & Mundi nobilitate spre-
tâ, per folidas virtutes viam fibi ad
coelos muniuit.

7. *Augufti.*

SEPTIMO IDVS AVGVSTI.

IN Cœnobio montis Sancti Mar-
tini Natalis B. GODESCALCI ex
Abbate illius Ecclefie, Atrebatenfis
Epifcopi Ordinis Præmonftraten-
fis. Qui literaturâ & pietate exi-
mius, cùm Ecclefiam fibi creditam
pluribus annis laudabiliter rexiffet,
eiusque iura & priuilegia infigniter
L 3 auxif-

auxisset; in hoc religiosæ professionis suæ loco, Spiritum suum DEO Creatori reddidit.



13. *Augusti.*

IDIBVS AVGVSTI.

IN Chotiesfouienfi Bohemiæ Cœnobio Natalis B. W O Y Z L A V Æ Viduæ, eiusdemque Cœnobij cum Beato Hroznata fratre suo & Martyre, Fundatricis & Religiosæ Ordinis Præmonstratensis. Quæ marito orbata, inter dicatas DEO Virgines, vitæ hîc suæ reliquum CHRISTO pijsimè transcripsit.

13. *Av-*

13. *Augusti.*

IDIBVS AVGVSTI.

IN Aldenbergensi Virginum Cœnobio Treuirensis Diœcesis, Natalis Beatæ GERTRVDIS Virginis Ordinis Præmonstratensis, filiæ S. Elisabethæ Landtgraviæ Hassiæ & Thuringiæ. Quæ ab ipsa infantia per Matrem hoc in loco DEO oblata, eidem postmodum magnâ Sanctitate & religione præfuit: collectoque in conscientiæ vase diuinæ gratiæ oleo, accensâ ornatâque bonorum operum Lampade CHRISTO Sponso suo obuiam iuit, Sanctæ Matris non degener filia.


14. *Aug-*

14. *Augusti.*

DECIMO-NONO KAL. SEPTEMBRIS.

IN Viconia Natalis B. P. **V**VILHELMI **V**ercinij Abbatis Viconienfis Ordinis Præmonstratensis. Qui extractâ nouâ Cœnobij sui Ecclesiâ iuxta designatam sibi à Beatissima DEIPARA formam; ob liberalem in pauperes munificentiam, Eleëmofynarij nomen promeruit. Cumque annis viginti duobus Ecclesiæ suæ admodum laudabiliter præfuiſſet, Sacramentis Christianis magna cum deuotione susceptis, cinericio strato decumbens, staturâ pusillus, sed animo excelsus, DEO dignam Animam suam efflauit.

17. *Au-*



17. Augusti.

DECIMO-SEPTIMO KAL. SEPTEMBRIS.

IN Arnsteinio Cœnobio Natalis
 B. GVDÆ Comitissæ, eiusdem Ec-
 clesiæ Fundatricis & Conuersæ Or-
 dinis Præmonstratensis. Quæ B. Lu-
 duici Comitis Arnsteinij infœcun-
 da diu Coniux, dum se & sua æter-
 nis DEI mancipauit obsequijs; ste-
 rilem DEVS habitare fecit in domo,
 multorum spiritualium matrem fi-
 liorum lætantem. [Carne tandem
 abstinentijs salubriter attritâ, psal-
 misque & hymnis jugiter intenta,
 foeliciter migravit ad CHRISTVM.

In Arnsteinio Cœnobio
 B. GVDÆ Comitissæ
 M. C. LXX. II. Au-
 gusti.

20. *Augusti.*

DECIMO-TERTIO KAL. SEPTEMBRIS.

IN Steinfeldiensi Eyffliæ Cœno-
bio beatæ memoriæ IACOBI de
Rodesheim eiusdem Ecclesiæ Ab-
batis vigesimi primi, Ordinis Præ-
monstratensis. Qui zelo flagrans
monasticæ disciplinæ, cùm impio-
rum excessus pro Officij sui ratione
indefessus argueret, ab iisdem into-
xicatus, gloriosâ morte obiit: faci-
noris autem huius conscij, malâ
morte perierunt.

24. *Augusti.*

NONO KALEND SEPTEMBRIS.

IN Wortensi Virginum Cœnobio
Natalis sanctæ memoriæ THEO-
DORI-

DORICI Bernensis Ecclesiæ Canonici Ordinis Præmonstratensis. Qui variarum virtutum suffultus præsidio, in lecto doloris sui à Sanctissima DEI Matre & Inclyta cœli Regina visitari meruit: & mundæ conscientiæ gaudens testimonio, per bonam mortem, quam intrepidus excepit, æternùm in cœlo regnaturus, foeliciter migravit ad Dominum.



M 2 NATA-



NATALES
 SS. ORD. PRÆMONST.
 MENSE SEPTEMBRI
 OCCURRENTIVM.

1. *Septembris.*

KALENDIS SEPTEMBRIS.

AMAGNÆ Natalis Beatissimi HADRIANI Papæ Quarti. Qui ex Candido Præmonstratensium Canoniorum Ordine, S. R. E. Cardinalis factus, & Apostolus Norwegorum; in Romani Pontificatus Thronum sublimatus est: Sanctamque DEI Ecclesiam prudentissimè rexit, eiusque libertate contra impios
 ATAM M Fri-

Friderici Imperatoris & aliorum
conatus gloriose propugnata; ad
repositam sibi in cœlo laborum
suorum Lauream foeliciter euola-
uit.

11. *Septembris.*

TERTIO IDVS SEPTEMBRIS.

IN Grimbergenfi Brabantia Cœ-
nobio Principibus Apostolorum
sacro, Natalis B. DANIELIS eiusdem
Ecclesiae Canonici & Prioris, Ordinis
Præmonstratensis. Qui ob An-
gelicæ vitæ puritatem, visibili in
humana specie Angelorum conso-
latione, eorumque ministerio, DEO
Sacrum offerens Missæ Sacrificiū,
meruit decorari: conuersationisq;

M 3 San-

Sanctæ exemplis, morum integritate, ac zelo disciplinæ monasticæ augendæ extitit admirandus.



14. *Septembris.*

DECIMO-OCTAVO KAL. OCTOBRIS.

IN Cœnobio Beatæ MARIÆ de Berna Natalis B. P. EVERARDI Primi eiusdem Ecclesiæ Abbatis Ordinis Præmonstratensis. Qui vitâ sanctissimus, humilitate eximius, & religiosæ paupertatis amicus, cùm triginta quatuor annis suam nobiliter rexisset Ecclesiã, plenum relinquens Conuentum & benè ordinatum, foeliciter migravit ad Dominum.

16. *Sep-*

16. *Septembris.*

DECIMO-SEXTO KAL. OCTOBRIS.

IN Capenbergensi Cœnobio De-
positio Sanctarum Reliquiarum
B. GODEFRIDI ex eiusdem Cœno-
bij Fundatore & Comite, Canonici
Ordinis Præmonstratensis.

25. *Septembris.*

SEPTIMO KALEND. OCTOBRIS.

IN Cœnobio Sancti Pauli Virdu-
nensis BB. ROGERI & THEO-
DORICI eiusdem Ecclesiæ Abba-
tum Ordinis Præmonstratensis. Qui
à B. Alberone Episcopo huic Cœ-
nobio

nobis successiue præpositi, magnâ
 illud Sanctitatis laude governa-
 runt, DEOQ; illos largâ benedictio-
 ne prosequente, cum ultra 300. ad
 CHRISTI seruitium Candidos Re-
 ligiosos attraxissent, iisdem illos
 prouentibus commodè sustenta-
 runt; qui antea pauculis alterius in-
 stituti vitæque deformatæ Mona-
 chis non suffecerant. tandem pasto-
 rali sollicitudine gloriosi, ingressi
 sunt in gaudium Domini sui.



NATA-




NATALES
 SS. ORD. PRÆMONST.
 MENSE OCTOBRI
 OCCURRENTIVM.

3. *Octobris.*

QVINTO NONAS OCTOBRIS.

IN Aruernia Natalis S. GILBERTI Confessoris, & Primi Abbatis Cœnobij Nouem-fontium Ordinis Præmonstratensis. Qui secularis militiae nobilitatus insignibus, ex potentissimo milite huius seculi; factus est humillimus miles CHRISTI: extractoque Candidi Ordinis Cœnobio, paupertatis & abstinentiæ,
 N libe-

liberalitatis & eleëmofynarum admirandus exemplis, migravit ad Dominum: cuius magnitudinem meritorum, miraculorum magnitudo declarat.




5. Octobris.

TERTIO NONAS OCTOBRIS.

APVD Laudunum clauatum B. AGVALTERI à Mauritania, ex primo Cœnobij Sancti Martini Abbate, Laudunensis Episcopi Ordinis Præmonstratensis. Qui inter primos Candidi Ordinis Patres, S. NORBERTO Sodalis adhæsit: cuius etiam Apostolico spiritu plenus, pro amplificanda DEI gloria, & nouo suo Ordine propagando indefessè laboravit. tandem verò ætate
& mo-

& moribus grauis, morte in con-
spectu Domini pretiosâ in pace
quieuit.



12. *Octobris.*

QVARTO IDVS OCTOBRIS.

APVD Wadegozin Natalis B. P.
GODEFRIDI Primi Abbatis
Arnsteiniani Ordinis Præmonstra-
tensis. Qui ex Scholaſtico Cathe-
dralis Eccleſiæ B. Mauritij Magde-
burgenſis, in Cœnobio Gratiaē DEI,
Candidi Ordinis inſtitutum pro-
feſſus; Arnſteiniano Cœnobio pri-
mus Abbas præfectus eſt, Vir gra-
tiaē ſingularis & meriti: quemque
velut cœleſtem radium cæteri ſe-
quebantur. Anno autem Præfectu-
ræ vndecimo ad cælos foeliciter mi-
grauit.

N 2 14. *Octo-*

nis Præmonstratensis: quod ibidem
multis miraculis gloriosum, crebrâ
peregrinorum visitatione colitur.


25. *Octobris.*

OCTAVO KAL. NOVEMBRIS.

IN Cœnobio Gummerfcheym Na-
talis B. Comitis LVDVVICI Con-
uerfi Ordinis Præmonstratensis, &
Fundatoris Cœnobij Arnsteinij iu-
xta Loganam in Wæsterwaldia fiti.
Qui postpositis seculi pompis igno-
minia Crucis CHRISTI, cùm in Re-
gulari vita complures insigni pieta-
te transegisset annos: totus coele-
stium flagrans desiderio, omnibus
valedicens, lætantibus Angelis, ple-
nam

N 3 nam

nam foelicibus meritis Animam
transmisit ad CHRISTVM.



29. *Octobris.*

QVARTO KAL. NOVEMBRIS.

IN Coenobio Insulae Beatae MA-
RIÆ Virginis in Gelria, Natalis
B. P. ROBERTI Primi Abbatis e-
iusdem Ecclesiae Ordinis Præmon-
stratensis, non minùs Sanctitate,
quàm Regio Anglorum sanguine
clari.



NATA-



NATALES
SS. ORD. PRÆMONST.
MENSE NOVEMBRI
OCCURRENTIVM.

1. *Novembris.*

QUARTO NONAS NOVEMBRIS.

SOLEMNITAS Omnium San-
ctorum. Eodem die Com-
memoratio plurimorum
vtriusq; sexus ex Præmon-
stratensi Ordine Sanctorum. Qui
vocationis suæ grandis memores;
voluntati diuinæ, quæ est Sancti-
ficatio nostra, viriliter cooperati
sunt. Et quia DEO hîc in Iusti-
tia & Sanctitate veritatis placue-
runt,

diuini honoris zelo succensus inde-
 fesso labore restituit. Postmodum
 Sebastianensis Episcopus & Pra-
 gensis Archiepiscopi Suffraganeus,
 ac demum ob insignem prudentiæ
 & virtutum famam ad Archiepi-
 scopalis dignitatis culmen euectus
 est; quam decem annis laudatissimè
 tenuit, & Apostolicis virtutibus de-
 corauit, pauperum & egenorum
 singularis benefactor: denique mul-
 tis & magnis Cœli fauoribus affe-
 ctus, cum suis & vniuerso gregi plu-
 rimis Sanctitatis exemplis præluxif-
 set, hoc ipso Commemorationis om-
 nium fidelium Animarum die
 anno M. DC. XXII. pijsimè in Domino
 obdormiuit: factusque est in pace
 locuseius, & habitatio eius in San-
 cta Sion:

O

3. No-

3. *Novembris.*

TERTIO NONAS NOVEMBRIS.

VIRODVNI in Cœnobio S. Pauli,
 Natalis B. ALBERONIS Virdu-
 nensis Episcopi. Qui cùm Episco-
 patum suum quàm laudatissimè
 pluribus annis administrasset, Can-
 didi Ordinis fautor & promotor
 egregius, eundem Episcopatu ab-
 dicato, in eodem S. Pauli Cœnobio
 Canonicus-religiosus factus, san-
 ctissimè professus est; & diues bo-
 norum operum, ad cœlos migravit.

~~~~~

10. *Novembris.*

QUARTO IDVS. NOVEMBRIS.


**I**N Cœnobio S. MICHAELIS de Tre-  
 uijño iuxta Villam Maiorem in  
 Hispa-

Hispania, Obitus Sanctæ memorie DIDACI de Mendieta Abbatis Ordinis Præmonstratensis. Qui huius Ecclesiæ vltimus Abbas perpetuus; zelo religionis, reformationisq̄ue causâ libentissimè cessit. Postmodum semel & iterùm Candidæ religionis in Hispaniæ Regnis, generalis Reformator, aliquarum insuper domorum Abbas triennalis, Congregationisq̄ue Hispanicæ Visitator extitit generalis, Vir verè Apostolicus, humilis, obediens, religiosus & pius. Demū varijs exercitatus morborum molestijs cum admirabili patientia toleratis, cœlo semper intentus, diuinis Angelorum vocibus & concentu in terris recreari meruit: decessitq̄ue iam octogenarius cum tanta Sanctita-

O 2      tis



tis opinione & populorum accursu, quod plurimis vestium eius particulas certatim abscindentibus, vix terræ mandari potuerit.



13. *Novembris.*

IDIBVS NOVEMBRIS.

**I**N territorio Hallumensi Cœnobio Horti Mariani in Frisia, Natalis Beati Patris SIARDI eiusdem Ecclesiæ Quinti Abbatis Ordinis Præmonstratensis. Qui à B. Frederico acceptum virtutum pallium, velut alter Helizæus immaculatum custodiuit: exactisque in regimine triginta sex annis, præclaræ Sanctitatis & meritorum gloria coruscauit. Cuius defuncti tumulum infinita





NATALES  
 SS. ORD. PRÆMONST.  
 MENSE DECEMBRI  
 OCCURRENTIVM.

*2. Decembris.*

QUARTO NONAS DECEMBRIS.

**I**N Floreffienſi Cœnobio  
 Diœceſis Namurcēſis Na-  
 talis B. IOANNIS d'Auelois  
 eiufdem Eccleſiæ Quinti  
 Abbatis Ordinis Præmonſtratenſis.  
 Qui commiſſi gregis ſui forma fa-  
 ctus ex animo, vt eidem præfuit  
 merito, ita ſanctæ vitæ præluxit ex-  
 emplo.

*7. De-*

7. Decembris.

## SEPTIMO IDVS DECEMBRIS.

**I**N Cœnobio Bonæ-spei in Han-  
nonia Translatio Beati FREDERI-  
CI Primi Abbatis & Fundatoris  
Horti Mariani in Frisia Ordinis  
Præmonstratensis: Quando ipsius  
sacræ Reliquiæ plurimis decoratæ  
miraculis, solemni pompâ in Eccle-  
sia dicti Cœnobij collocatæ, &  
publicæ fidelium venerationi ex-  
positæ sunt.




8. Decembris.

## SEXTO IDVS DECEMBRIS.

**I**N Sclauonia Cœnobio Rubi, B.  
ANASTASIE Principis & Ducissæ  
Pomeraniæ, Conuersæ Ordinis  
Præ-

Præmonstratensis. Quæ diuino feruore incensa, & Candidi Ordinis suaueolentis excitata fragrantia, vtrique filio diuisis Prouincijs, Rubi Cœnobium fundat: in quo inter Sacratas DEO Virgines; ipsa semet Ordinis rigori Illustrissima Ducifsa magnâ humilitate subijcit: ac per arctam viam & angustam portam, ingressa est in æternam vitam.



12. Decembris.

PRIDIE IDVS DECEMBRIS.

**I**N Infula Cypro Cœnobio dicto  
Episcopiâ B. MACARII Regis &  
Confessoris Ordinis Præmonstra-  
tensis. Qui primùm Haitonus di-  
ctus, cùm Armeniæ Regnum plu-  
ribus

ribus annis gloriosè administrasset:  
 hostiumque suorum pluries Victor  
 extitisset; filio suo Tyuono Regni  
 traditis insignibus, ipse semet Can-  
 didi Instituti disciplinæ subijciens;  
 præclara vitæ prioris Stratagemata  
 humili Ordinis præmonstrati pro-  
 fessione coronauit.

17. Decembris.

DECIMO-SEXTO KAL. IANVARI.

**I**N Steinfeldiensi Cœnobio Passio  
 Sanctæ memoriæ GODEFRIDI  
 de Bonnenberg decimi-noni eius-  
 dem Ecclesiæ Abbatis Ordinis Præ-  
 monstratensis. Qui Britannis Stein-  
 feldiensem Ecclesiam deprædanti-  
 bus & penitens euertentibus, mi-  
 serabili morte excarnificatus; visus  
 P est

est oculis insipientium mori: verum factus est in pace locus eius, dum cum Corona Martyrij foeliciter migravit ad Dominum.



23. Decembris.

DECIMO KALEND. IANVARIIL.

**I**N Scheidenfi Cœnobio Beati HERMANNI Primi eiusdem Ecclesiæ Abbatis, & Præpositi Ordinis Præmonstratensis. Qui ex Iudaismo mirabiliter ad CHRISTI fidem conuersus, in Capenbergensi Cœnobio Præmonstrati Ordinis habitu suscepto, Candidæ huic IESU militiæ adscribi voluit: in qua per omnes Christianarum virtutum ascendens gradus, ad tantam perfectionis Euangelicæ excellentiam deuenit; vt quo olim zelosior extiterat

terat propugnator Iudaicæ perfidiae; eo nunc gloriosior Æternæ esset assertor Veritatis. Quin & Scheidenfis Ecclesiæ Prælaturam, piæ & sanctæ conuersationis exornauit exemplis.

Et alibi aliorum plurimorum SS. Martyrum, Confessorum, atq; sanctarū Virginum. *Resp.* DEO gratias.

*Antiphona.*

**I**sti sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in Sanguine Agni.

*ψ.* Lætamini in Domino, & exultate Iusti.

*ꝛ.* Et gloriamini omnes recti corde.

*Collecta.*

**L**ætetur Ecclesia tua DEVS, Sancti NORBERTI Confessoris tui atque Pontificis, & BB. eius Sodalium confisa suffragijs: atque eorum precibus gloriosis, & deuota permaneat, & lecura consistat. Per CHRISTVM Dominum nostrum. *ꝛ.* Amen.

P 2

S. AN-



## S. ANTONINVS.

Summæ Histor. P. 3. Tit. 23. c. 14.

**S**criptum est, quia Spirituum ponderator est Dominus, cui soli, sicut cognitus est numerus Electorum in superna felicitate laudandus: ita & ei soli innotescant gradus meritorum, & præmiorum omnium Sanctorum, & quibus voluerit reuelare. Quantum autem nobis (qui tenebris inuoluimur) permittitur iudicare de Sanctis, per coniecturas & præsumptiones ex gestis eorum, arbitror ambigere neminem, plurimos Beatos utriusque sexus, non canonizatos ab Ecclesia, imò nec nominatos, non fuisse minoris meriti & inferioris gloria, multis Catalogo Sanctorum adscriptis. Non enim Canonizatio adiicit ad meritum vel præmium essentielle Beatorum, nec decernit Sanctitatis gradum, sed venerationem temporalem & gloriam, ut post ipsam possit solemniter officium celebrari & festuari, quod aliàs fieri non debet.

AD

## AD LECTOREM.

**E**N tibi Candide Lector MANIPVLVM le-  
 ctissimorum aliquot CHRISTI Militum,  
 qui sub sanguinolento Crucis labaro in Candi-  
 da hac IESV militia, Diuini Numinis gloriæ  
 propugnandæ, Mundoque & Carni debellan-  
 do, dæmonibusque superandis sese promptos &  
 alacres aliquando deuouerunt. Et verò, vicerunt  
 propter sanguinem Agni, quia non dilexerunt  
 animas suas vsque ad mortem, quas vt æternum  
 inuenirent; hinc odisse & perdere iuxta CHRISTI  
 consilium, non dubitarunt. Illi ob vitam in ter-  
 ris innocenter inculpateque actam, æternum  
 nunc regnant cum CHRISTO, qui absterfis  
 lachrymis ab oculis eorum, quos hinc pro eius  
 amore labores exantlarunt, æterno nunc in cæ-  
 lis præmio remuneratus est. MANIPVLVM au-  
 tem consultò hunc vocaui, ne me putares exi-  
 guo hoc Syntagmate omnes complexum esse  
 Viros sanctitate illustres, qui à quingentis iam  
 annis Candidam hanc militiam rebus præcla-  
 rè ac sanctè gestis illustrarunt, quam nonne-

mo vir magnus, Perpetuum virorum fortium & Catholicæ fidei Propugnatorum Seminarium appellat; cuius etiã in varijs suis Rescriptis Romani Pontifices, adeò illustria texunt Elogia. Hoc enim vires meas longè excedit. DEVS namque qui in Militante sua Ecclesia totidem creat Cœlos novos, quot per Orbem vniuersum Religiosas Congregationes, & nouorum Ordinum familias instituit: eosdem etiam Sideribus suis pulchrè depingit & exornat: suntque hæc Sidera viri illustres qui tanquam lucernæ ardentes & lucentes sanctitatis coruscant radijs. Vnde cùm, Scriptura teste, DEI sit numerare multitudinem Stellarum, qui omnibus eis nomina vocat: magnæ temeritatis merito arguerer, qui omnes omnino Præmonstrati Ordinis Sanctos, quibus tanquam totidem Stellis Cælum hoc nouum depinxit, recensere præsumerem. Ille enim sibi soli cognitum electorum numerum, in respectione Animarum sanctarum, cùm cælum aduocabit desursum & terram discernere populum suum, mundo aliquando propalabit. Accedebat, quod in hunc finem omnia totius Christiani orbis

orbis Instituti huius Cœnobiorum Archiua perlustranda fuissent, Bibliothecæ excutiendæ, Monumenta perscrutanda, aliaque innumera peruestiganda, quatenus omnes Ordinis huius Viri Sancti colligi possent. Quod cum à me nec factum sit, nec fieri potuerit, varijs per decennium obedientiæ vinculis constricto, & intra Claustrum huius septa delitescente; idcirco ex Prætoria & Victrice Legione hâc, quam foeliciter cælis inuexit sancti nouæ militiæ huius Antesignanus NORBERTVS, aliquem mihi solum MANIPVLVM exhibendum delegi, Sanctorum aliquot, qui vel per Antiquorum Scriptorum excussione, vel per Amicorum communicationem ex Archiuis Ecclesiarum hæctenus mihi innotuerunt.

Tuum erit beneuole Lector, hosce nostros, qualescumque conatus, qui candido tibi affectu offeruntur, benigno fauore prosequi, & quâ parte potes studia hæc nostra iuuare, Quare etiam atque etiam rogo, vt si qui tibi, præter illos hic recensitos, accuratâ tuâ peruestigatione & labore, huius Candidi Ordinis viri Beati occurrerint: si quæ illorum vitæ antiquitûs conscriptæ & suâ

& suâ vetustate venerabiles, si quæ pro ipsorum Natalibus illustrandis tibi obseruatâ sint, si quæ in antiquis Registris Diplomata vel Rescripta; ea nobiscum pro DEI & SS. suorum gloriâ celebrandâ communicare non dedigneris. Ita faxit pietissimus Sanctorum Coronator DEVS, vt quorum hic NATALES illustrare, quorum Triumphos celebrare, quorum gloriæ congratulari pro virili nostra conati fuerimus; eorumdem in cælis beatâ quandoque Societate perfruamur.

Hæc denique, & omnia mea S. R. E. grauissimo iudicio submittens, in hoc voto finio: *Moriatur Anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia.* Numer. 23. 10.



PRÆ-

## PRÆCLARA QVÆDAM

Summorum Pontificum de Præmonstratensi  
Ordine Elogia.

B. HADRIANVS PP. IV.



ATTENDENTES itaque quomodo Religio & Ordo  
vester, CUIVS NOS ALVMNVS ALIQVANDO  
FVIMVS, multâ refulgens gloriâ meritorum, &  
gratiâ redolens sanctitatis, palmites suos à mari  
vsque ad mare extenderit, &c.

IDEM HADRIANVS.

SICVT in humano corpore membra plurima esse digno-  
scuntur, & alia in maiori honore habeantur, quoniam  
pro excellentiâ suâ dignitate sunt chariora; ita in Corpo-  
re CHRISTI, quod est Ecclesia, plurimi sunt ad laudem &  
honorem Domini congregati; quidam tamen propensius  
in ipsius laudibus & seruitio commorantes, sicut membra  
excellentiore in Corpore CHRISTI numerantur, &  
sunt quasi Luminaria in firmamento Coeli, quæ terre-  
nos illuminant, & ad CHRISTI seruitium proprij vn-  
guenti odore student alios attentius prouocare. Vos au-  
tem Filij in CHRISTO charissimi, quoniam de illorum nu-  
mero Vos esse cognoscimus, sinceræ affectu diligimus  
charitatis, & vestris iustis postulationibus gratum volu-  
mus exhibere consensum, vt tanto feruentius in Domini  
vineâ laboretis, quanto apud Matrem Sacrosanctam Ro-  
manam Ecclesiam maiorem gratiam senseritis inuenisse.

ALEXANDER PP. III.

OMNIPOTENTI DEO à quo vniuersa bona proce-  
dunt, gratiarum referimus actiones, qui Vos in vni-  
tate

tate Catholica conseruauit, & non permisit schismaticâ pollui prauitate, licet enim schismaticorum præsumptio diuersis vos calliditatibus & mendacijs à deuotione S. Petri & nostra, retrahere niteretur, uestra tamen discretio illorum iniquitatem studuit euitare, & unitatē Catholicam conseruare. Quod siquidem gratum & acceptum tenentes, & uestræ fidei constantiam & sinceritatis affectum in Domino plurimùm cōmendantes, gratias quas debemus uobis referimus, firmum propositum & firmam uoluntatem habentes, personas & Ecclesiam uestram merâ cordis affectione diligere, & internæ dilectionis brachijs amplexari, & iura ipsius illaesa & integra conseruare.

INNOCENTIUS PP. IV.

**S**Ane mundo celebris, & supernis grata ciuibus, sacra Religio Præmonstratensis Ordinis, à suæ plantationis initio Regis æterni fuit habitaculum, uirtutum splendoribus illustratum, quod semper honore proficiens & honestate cōcrescens, generalis Ecclesiæ decus extulit, & decorem multimodis ampliauit. Ex hoc enim Nos spiritualem in Domino lætitiā consequentes, affectu pio de ipsa Religione concipimus, ut nostræ prouisionis auxilio, eius robur & pulchritudinem augeamus: ita quòd ipsa in domo Domini contra tentatoris impetū & turbinem uitiorum, sit quasi Turris eburnea, uirtutum munita propugnaculis, in qua lectum amœnæ quietis habeat ueri excellentia Salomonis, &c.

BONIFACIUS PP. VIII.

**I**N Ecclesiæ firmamento uester Ordo claro nitore coruscans, uniuersalem Dominici gregis aulam illuminat, currentibus in stadio rectum iter insinuat, quo ad salutis brauium faciliùs peruenitur.

LAV.

LAVDATIO  
FVNEBRIS

In Anniuersario Ill.<sup>mi</sup> & Reu.<sup>mi</sup>  
Principis ac Domini,

D. IOANNIS LOHELII,  
DEI & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopi  
Pragensis, Legati nati, Ordinis Crucigero-  
rum cum Rubeâ Stellâ Magistri Generalis,  
Abbatis quondam Montis Sion, Ordinisque  
Præmonstratensis per Bohemiam, Morauiam,  
Silesiam, Poloniam, &c. Visitatoris & Refor-  
matoris.

*Habita in Cænobio B. MARIE Virginis Mon-  
tis Sion, vulgò Strahow, in Vrbe Regia Pra-  
gensi, à R. D. D. BENEDICTO MONA-  
STERIENSI, eiusdem Ecclesiæ Canonico &  
Ecclesiaste Ordinis Præmonstratensis.*

Q<sup>2</sup> LECTO.



## LECTORI CANDIDO.

**P**RAGE, qua totius Bohemia Regni  
Metropolis est, Inclytum ac Rega-  
le Cœnobium visitur Ordinis Pra-  
monstratensis, Mons Sion dictum,  
vulgò Strahow. quod quâ ratione fundatum sit  
à Vladislao Bohemia Principe, suggerente po-  
tissimum B. HENRICO, Vratislai Bohemia Primi  
Regis filio, & Vladislai dicti patruo, Episcopo  
Olomucensi, quem Clarissimus vir Augustinus  
Olomucensis, in Episcoporum Olomucensium  
Catalogo, mira Sanctitatis ac innocentia Pon-  
tificem, & singulare miserorum profugium vo-  
cat; in HAGIOLOGIO nostro ad VII. Kalendas  
Iulij, quo eiusdem gloriosi Pontificis Natalem  
recensemus, Notisq; illustramus, N. 3. pluribus  
diximus. Fuit autem celeberrimum hoc Cœno-  
bium multorum Pontificum ac Pralatorum in-  
signium, aliorumq; virorum magnorum iam  
olim fecundum Seminarium. Præter enim Bea-  
ta memoria ADALBERTVM Vladislai II. Bohemia  
Regis filium, Salisburgensem Archiepiscopum,  
huius

huius Cænobij Canonicum professum, Virum  
 (ut Wenceslaus Haggocius scribit) humilitate  
 eximium & Sanctitate conspicuum; decem ex  
 Ordine protulit Olomucensis Ecclesia in Mora-  
 uia Episcopos: ut Ioannes Dubrauius & Au-  
 gustinus Olomucensis, alijq; testantur. Etsi au-  
 tem in hoc præclarum Strahouiense Cænobium,  
 admodum debacchata sit Husitica rabies; non  
 iuit tamen omnis gloria eius in cineres & fauil-  
 las. In eodem namque magnâ nuper Sanctita-  
 tis laude floruit, Ill.<sup>mus</sup> & Reu.<sup>mus</sup> IOANNES LO-  
 HELIUS, eiusdem Ecclesia XLIII. Abbas: qui mo-  
 nasticam disciplinã, & Præmonstrati Ordinis  
 sacras obseruantias, non in vno dumtaxat Pra-  
 gensi Cænobio, verum per totum Bohemia Re-  
 gnum & incorporatas ei Prouincias, Mora-  
 uiam, Silesiam, &c. indefesso zelo ac Spiritu  
 verè Apostolicorestituit.

Nec passus est DEVS, tantam hanc sub modio  
 diutius latere lucernam; nimis angusti erant  
 vnus Strahouiensis Cænobij parietes, quam ut  
 continerent hunc Solem, quem aeterno decreto suo  
 DEVS in totius Bohemia lucem destinauerat.

Q 3 Vnde

Vnde Archiepiscopus factus, cum iam 26. annis Cœnobium suum laudatissimè rexisset, ac simul Archiepiscopatus Suffraganeus & Episcopus Sebastianensis annis octo extitisset; Pragensi Ecclesia tot virtutum exemplis irradians, tantâ integritatis laude præcellens, tot cœli fauoribus & DEI benedictionibus præuentus, per decem annos præfuit; ut nuper, anno videlicet 1622. 2. Nouembris, in Domino pijsimè obdormiens, ingentem Sanctitatis opinionem & famam post se reliquerit. Tumulatus est honorificè in suo Strahouiensi Cœnobio: & qui illum in Prelatura & Visitatoris dignitate sequutus est Reuerendissimus Gasparus Questenbergius, in Anniuersario Depositionis die anno 1623. Sancta eius memoria Christiano ritu lusta restaurari, in magna illustrium Virorum & Prælatorum frequentia curauit.

In hoc eius Anniuersario Funebrem hanc Laudationem perorauit R. D. Benedictus Monasteriensis, vir ut apprimè religiosus, ita admodum disertus, eiusdem Strahouiensis Ecclesiæ Canonicus & Ecclesiastes Ordinis Præ-

mon-

monstratensis : qui in eadem Oratione summa-  
 tim quadam Gestorum Illustrissimi LOHELII  
 perstrinxit. Eamdem hinc ex HAGIOLOGIO  
 nostro ad secundam Nouembris descriptam, pro  
 voluntate admodum Reuerendi D. D. MAT-  
 THÆI IRSELII Ecclesia nostra Pralati meritiissi-  
 mi tantisper Lectori Candido exhibemus ; donec  
 Viri incomparabilis & omni laude maioris,  
 quiq; merito plures eruditissimorum Scripto-  
 rum calamos & stylos fatiget, Res præclarè  
 pro DEI gloria, & Animarum salute gesta  
 augustiori volumine à Reuerendissimo Que-  
 stenbergio, qui LOHELII, ut in Pralatura  
 Successor ; ita zeli ac pietatis hæres, describan-  
 tur. Quod ut pro Christianæ Reipub. bono, &  
 Ordinis Norbertini splendore, quamprimum  
 fiat, ex animo vouemus omnes.



LAVDATIO FVNEBRIS,

In Anniuersario Ill.<sup>mi</sup> & Reu.<sup>mi</sup>  
Principis ac Domini,

D. IOANNIS LOHELII,  
*Sanctæ memoriæ Pragensis Archiepiscopi,  
ex Ordine Præmonstratensi, habita Praga  
die 2. Nouembris, Anno 1623.*



OLEMNEM ANNIVERSARIUM  
agimus quo Ill.<sup>mus</sup> & Re-  
uer.<sup>mus</sup> Princeps ac Domi-  
nus D. IOANNES LOHELIVS,  
*Pragensis Episcopus*, deside-  
ratissimus Pater noster, po-  
sitâ huius mortalitatis mo-

le, ad æui melioris dies translatus. Solatio fuerat  
hactenus, quòd, quem viuum vltra non posse-  
mus, eius vel mortui tumbam non impedito lu-  
mine intueri liceret. Sed heu vanitas & afflictio  
spiritus magna! Absconditur hodie signatus la-  
pis, sepulchro obuoluitur, & nos mœstissimos  
filios suos desiderij sui iaculo vulneratos relin-  
quit.

V&J

quit. Acerbum erat valdè, cùm ille Reuerendissimo Abbate nostro absente, rebus omnibus ad pietatem ritè sapienterque dispositis, diem mortis præsentiscens quibusdam nostrorum accersitis, omnimodis fore, vt breui LOHELIVS ex hac vita egrederetur assereret; cùm & nos è contra nequicquam, diu noctuque & deuotis precibus, & quibuscumque oportunum videbatur modis laborantes, illius merita præualere aduerteremus. At omnia viscera nostra commota sunt, cùm fatalis illa dies, Virum incomparabilem, Sacerdotem CHRISTI magnum nobis eripuit: etsi solatium interpretari potuimus, quod tam pronum in omnia illius vota DEVM miraremur: vt nimirum & illam obitus sui haberet horam, quâ fidelibus cunctis Requiem vniuersa precatur Ecclesia: & eidem tam lætum nuntium, ipsemet Sedis Apostolicæ Legatus natus deferret; & hunc maximè, quem viuis elegerat, Sepulturæ suæ locum contingeretur. Cæterùm hodierna dies acerbissima, hora hæc amarissima, quæ B. Patris exuias ab orphanis & desolatis filijs inuidiosa secludit, & exulcerat nondum curata vulnora.

R Plaga

Plaga ista infanabilis est AA. & ingens *Montis Sionis* iactura. Ah, quis medebitur doloribus nostris? Plangite, Deuotissimi Confratres, plangite, quia cecidit Corona capitis vestri, defecit lumen oculorum vestrorum, & residuum gaudium vestrum abiuit in luctum. Plangat vniuersus *Ordo Premonstratensis*, & quotquot candidissimæ professionis eius communionē lætantur, quia ecce lucidissimum iubar eius obscuratum est, contrita est eius gloria, & corruit fortissima illa columna cui innitebatur, de cuius zelo, consilio & exemplo robur non mediocre capiebat. Plangant Principes & Proceres, quia consortem, plangant nobiles & diuites, quia Patronum, plangant pauperes, viduæ, pupilli, quia Patrem perdidērunt. Nemo omnium sit, qui non illum, quamuis tardissimâ senectute consumptum, vt primis tum annis acerbissimè ereptum conqueratur. Nemo fuit expertus bonitatis eius, nemo sit expertus doloris. O dira mors & inexorabilis quæ dum Illustrissimum Principem, Reuerendissimum Patrem nostrum LOHELIVM percutis & occidis, simul & in vno illo collectam excellentissimorum Procerum,

cerum, Nobilium & vulgi multitudinem vulneras! Fecisti hoc ô inuisa Mors, bestia crudelis, veruntamen quod in Ieremia scriptum est, in nouissimo dierum stulta remanebis, & LOHELIO in æternum regnante, tu in æternum morieris. Humana supergressus, quo dignus non erat mundus, triumphat, & nunc procedit Unigenitus Patris cum potestate magna & maiestate LOHELIVM quærere, & idem illud cadauerosum corpus configurare corpori claritatis suæ, tu autem quid? Verum enimvero in diuersa prospicio.

In posterorum memoriam, & in sæculorum tempora Reuerendissimi & Illustrissimi Principis ac D. D. IOANNIS LOHELII *Archiepiscopi Pragensis Patris nostri*, Vita, in qua omnia fuere magna, excelsa omnia, omnia imitatione digna proferenda est. Consolandi estis vos Ornatissimi Viri, & Epitaphij flores in eiusdem Patris tumulum sunt spargendi. Etsi verò neq; grandes materias ingenia parua sustineât, & in ipso conatu ultra vires ausa succumbant: neque quem proprii vincunt gemitus, cuius visceribus emollitis, fracta in lacrymis verba defudant, optimi consola-



toris officium exequatur. In tumulum quidem & flores si me reflectam, lachrymis implentur oculi, & renouato dolore totus in funere sum.

Tanti tamē Patris Reuerentia & memoriæ desiderio, per prærupta licet, in ardua procedo ab effectu mutuaturus, quòd vires & ingeniū non indulgent. Vos oro Illustrissimi & Reuerendissimi Principes, Proceres, cæteri que AA. Ornatissimi, vt obligato mecum parumper vulnere, attentè audiatis laudes eius, cuius estis semper virtute lætati.

Rhetorum more, carnis bona, quæ semper Illustrissimus Princeps & Pater noster fastiduit, in animæ laudibus non requiram. Ab Auis, Proavis, Abavis, Atavis, etiamsi superesset, inane ducerem argumentum. Patria illi Egra nobilissimū olim Germaniæ Oppidum, nunc Regem Bohemiæ Dominum suum veneratur. Parentibus eius virtus erat in pretio, è qua vera laus. A se ipso Saul, non ab alio superiore sidere splendescit. Limpidissimi fontis copiam laudamus, si non aliunde scaturiat. Vt omne principium suo effectu nobilius, & omnis causa suo causato præstantior,

TIOR,

tior, sic magnæ nobilitatis initia dignissimi *Pragensium Archipræsulis LOHELII* ab eodem metipso fluxisse gloriosius: & in speciem spargere potuisse lumen in alios, non aliunde mendicare opus habuisse, magnificentissimum duco. Ille fons erat, non riuus. Illustrissimus Princeps LOHELIVS, ipse sibi suâ virtute, suis laboribus, ad id fastigium quo fuit euectus, viam strauit. Testantur coætanei eius grauissimi modo Religiosissimiq̃ue Præsules, illum primis statim Adolescentiæ initijs, talem de se dedisse spem, vt in eo, tanquam in herbis non fallacibus, quæ probitatis maturitas, & quantæ sapientiæ fruges essent futuræ, facile appareret. Rem prosequor.

Cum rudibus illis annis nunquam ante à virtutis aut vitij manu subactus, ab armentorum pascuis, ad rustica magis transire cogitaret seruitia, & in vicinam ciuitatem ocreas empturus properaret; ecce, descendit Altissimus in consilia, & non pecoribus aut stabulis, sed Prouincijs, Regnis, hominum animabus natum ostendere maturans, per subitum alterius pedis dolorem, in via constituto quietem indicit, & Angelicum

dat super caput eius tripudium. Hæret solus in agro Adolescens. erat vacua terra, serenum cælum, neminem videt, & Organis aures vndique circumsonantibus, audens discendæ mox Musices desiderium, ocrearum simul & stabuli oblivionem inducit. Cessat cum Cymbalis dolor, surgit, & optimo tunc Teplensium Præsuli (cuius memoria nunc in benedictione) se subdit.

Is in paupere superabundantem aduertens indolem, & desiderijs quidem annuit, sed & litteris simul imbuendum tradit. Exurgunt in illum diem inlatentia, & quasi emortua virtutum semina, atque alienâ manu in talem herbam & florem se induit, vt instructoribus charus, familiæ gratus, ipsi Domino Abbati esset in oculis.

Vt verò iudicium plenum accreuit ætati, Religiosæ vitæ desiderio, Candidissimo Ordini Præmonstratensi, in Monasterio Teplensi se mancipem resignat. Incredibile est, quantum ad animam eius mentemque iuuenilem, senili quasi prudentia confirmandam Candidissimus Habitus attulerit: quam ille prudentiam vitæ integritate & morum bonitate ad eò condiebat, vt

vtrum

utrum melior esset an prudentior, dijudicari  
haud facillè posset.

Corrupti quidem sunt sæculi mores, & non  
raro contingit, ut in Monasterijs quærantur, quæ  
foris haberi non poterant, & quæ humilitatis de-  
bebant esse initia, in superbix vertantur fo-  
menta. At *Illustrissimus Princeps LOHELIVS*,  
Pater, (cheu!) quondam noster, longè alio spiri-  
tu raptus disciplinæ CHRISTI se substrauit: & quod  
opulentas non spectaret commoditates, non in-  
quireret magna, nec superuacua venaretur, sed  
purgatissimâ mente, in vnum & solum DEVM  
omnia sua referret, satis superq; summâ illa mo-  
destiâ, pietate, patientiâ, quâ biennalem fermè  
supra modum Ordinis sustinuit Nouitium, do-  
cebat, non inanibus iam tunc sanctitatis signis  
coruscans.

Narrat Magnus ille Gregorius B. Honora-  
tum, adolescentem adhuc, dum Religiosâ obser-  
uantiam carniû esum detrectaret, parentum ex-  
probatione castigatum, fore asserentium, ut è  
coelo illi DEVS pisces in montibus subministra-  
ret. At dum famulus haustam è fonte aquam  
adfer-

adferret, piscem in conspectu omnium qui congregatis in escam diei sufficeret, effudisse. Idem nec syllabâ demptâ de *Reuerendissimo Patre & Prasule nostro LOHELIO* referre possumus. Viuunt oculati testes, viri omni exceptione maiores, qui repetent & enarrabunt. Vt rei actæ cui sermonem intendo, seriem D. Abbas Teplensis cognouit, obstupefactus, & plura secum tacitus ponderans, Religiosum iuuenem magis æstimare cæpit, inde accersit, ad Almam Pragensem Academiam, Patrum Societatis IESV, vltiorû studiorum gratia dirigit. Ô magna Magne DEVS paternæ prouidentia tuæ dignatio! Religioso adolescenti talem ac tantum Magistrum selegit, qui reuera non tam fortia loqui, quâ facere nouerat; qui inconcussâ mente, CHRISTVM suum, & in eo auitam Religionem professus, sanguinem, vitam dedit. *Sanctum Anglia Martyrem Edmundum Campianum.* Is optimum nostrum & Religiosissimum LOHELIVM, iam tum futura præuidens, & innocentiam æstimans, præcipuâ charitate complectebatur, mirabili dulcedine fouebat, & eodem secum cubiculo (rarum  
Socie-

Societatis Patribus) dormire iussit. Puerorum opprobrijs, quos inter ætate & staturâ procerior erat fatigatum, discessumque parantem hortatur, erigit, confirmat, nec vnâ vice. Demum pertinaciter succumbenti, abitum quidem indulget, sed ad Collegij ostium profecutus, *Fili*, inquit, *nec octiduum absens, errorem pœnitudine corriges*. Pergit subridens innocens Iuuenis, nunquam vt concluderat reuersurus. Aduentat iam septima nox, quam cum temporis dispendij amarior recordatio, totam faceret infomnem, animo æger, primo mane Collegium repetit, ostium pulsat, & (magnum est quod recenseo) *Martyrille CHRISTI Campianus* aperit, amplectitur, & salutationi festinus adiungit, *Nunquid non iusseram fili, ne octidui absentiam dissimulares?* Vellem hic digredi AA. in laudem Præclarissimi illius *Campiani*, sed præterlabor alligatus malo nauis, quæ LOHELIVM nostrum, per iustitiæ semitas, in altissimæ Aternitatis domum transuehit.

Sanctus Pater in spiritu viderat, qualesnam arbutcula hæc ramos, frondes, & in ætatem progressa

S gressa

gressa fructus esset datura. Narrationē restringo.

Auditis conscientiae casibus, superatisque Logices difficultatibus, domum reuocatus, auctus continuo Presbyteratu, ætatem honoribus vicit, honores virtute superauit.

Ad Prioratus prærogatiuam à Teplensibus Patribus maturè postulatus, Erudito & fortissimo Patre *Campiano* dignus discipulus, Teplensis oppidi animas, Lutheranae nouitatis gratiositate faucias, in Matris Ecclesiae gremium non suauiter minus quàm fortiter reduxit, & vnâ dierum gratum coelestibus spectaculum præbuit, in qua Senatorij Ordinis viros omnes, viti veræ, vnde exciderant reinsertit.

Transeo ad maiora, etsi nemo hæc humilia dicet. Ad te ô nobilissima palæstra *Strabouiese Monasterium*, laborum, sollicitudinum, & sanctissimorum exercitiorum, desideratissimi LOHELII nostri, locupletissimam testem propero.

Iacebat, proh dolor! hoc olim ipsorum Bohemiae Ducum religiosâ professione gloriosum Cœnobium. Magnificum hoc Olomucensium

Episco-

Episcoporum (quos continuâ successione Decem produxit) Seminarium, quasi perierat: & hæc laudatissimorum semper Virorum colonia lugebat. Plorabat Mater, orbata filijs, exuta redditibus, decolorata ruinis. Vidit Deus eiusdem lachrymas, & cui gemitus non est absconditus, in magna tribulatione, magnum prouentum, magnum Virum LOHELIVM dedit, qui vnus post multa tempora manus in auxilium protenderet. Nec fefellit. Quin iudices vos admodum Reuerendos Prælatos appello.

Dum in rectam Candidissimi Ordinis viam, plures reuocat, nullis pepercit laboribus, magna subiit pericula, dura & indigna perpeffus est. Opprobria, vincula, carceres expertus. Propè abest, quin è Monasterio eiectus sit.

Reluctanti in scriptis licentia est oblata, vt in quemcumque vellet alium se locum siue ordinem transferret: & his quidē agentibus, in quorum postea locum gloriosus postulatus est. At fuit hoc eorum non persecutio, non malitia, sed diuini Numinis id agentis, vt per aduersa clarior fieret LOHELIVS, atque celebrior. Neque enim



plus eos, quos indulgenter habet, & quibus par-  
 cit amat DEVS, sed quos iactat, quos exercet.  
 Vt secundæ res foelicem, magnum certè faciunt  
 aduersæ. Dominus & Saluator noster non nisi à  
 Cruce triumphat. Nec miremur, si quibusdam  
 agentibus, seruo, amico, imitatori eiusdem, *Pa-  
 tri nostro LOHELIO* (quem certa Omnipotentis  
 decreta Pontificali folio destinauerant) tristiora  
 euenerint, ne aut virtus quiete languesceret, aut  
 parum dignus Pallio fuisse videretur, qui omni-  
 no successurus esset Archiepiscopus. Examinauit  
 igitur, non exinaniuit DEI hominem tribulatio-  
 nis incendium. Stabat altior humano molimi-  
 ne generosa mens, atque cum Regio Propheta  
 constanter psallebat: *Quoniam elegit Domi-  
 nus Sion, elegit eam in habitationem sibi. Hac  
 requies mea, hic habitabo, quoniam elegi eam.*  
 Nec poterant labefactari tanta virtutum muni-  
 menta, nec Anchora sanctæ spei, veræ petreæ  
 CHRISTO IESV firmissimè infixæ vlllo modo di-  
 uelli vel confundi.

*Augustissimus* porrò *Imperator Rudolphus*,  
 qui Cæsar tantus erat, quantus & orbis, dolores  
 tunc

tunc Prioris loci huius *Reuerendi* IOANNIS LOHELII miserans, cum prius augusti oris clementissimo solatus esset alloquio, desperatis ferme rebus remedium admouit, eiecto qui non per ostium intrarat, & *Patre nostro* LOHELIO in locum restituto, quem deinde Professorum vnanimi consensu legitimè electum *Strahouiensem* *Abbatem confirmauit*. Quo fructu? dies me deficiet, si per ordinem & pro decoro recensere vel enumerare velim.

Millibus multis collatis, Ecclesiam hanc, *Gloriosissimi* *Cesaris Rudolphi* (ò verè Magni, si non vltima paululum dissiderent) & *Illustrissimorum* Regni huius Procerum, quorum nunc etiam præsentis vultus intueor, adiutus liberalitate ædificauit, suismet manibus consecrauit, sacris Altaribus adornauit, collapsumque in omnibus locis Monasterium restituit. In Choro & foro peruigil. Nec cœlestia cogitans publica neglexit, nec publica curans spiritualia proiecit: Magnus in vtroque. Idem semper in verbis & actionibus, Deo intentus, Angelicæ innocentiae æmulator,

nunquam sibi dispar. Quam doleo, præclare ab illo sapè dicta, nec fortiter minus quam piè, non in Annales relata. Quanta verò in sensu modestia! DEVM immortalem, et si subtilissimè non raro incidentia diuideret, tamen opinionis suæ minimè tenax, omnibus facilis concedebat, nec id rusticâ simplicitate, sed supereffluenti bonitate, quæ cunctis indulgeret, solo DEO contenta.

*Pater mi, Pater mi, fac vt fiat duplex in me spiritus tuus. Nouimus te corde humilem, sermone dulcem, opere strenuum, iudicio acrem, charitate feruentem.*

Sed progredior, atque vtinam tempus abundet, quo visitationum eiusdem, in Candidissima Religione nostra fructus enarrem.

Perierat religiosa disciplina, & Monasticen palam professi, tractabant indigna, degenerarant. Ille quotidie vitæ pericula dissimulans, per medias acerrimæ hyemis niues, nullis fatigatus incommodis, in opem & necessitatis remedium alacriter cueurrit, institit, blanda vi reluctantes in aliud protraxit, constanti bonitate multorum mali-

malitiam euicit. Quid moror? Etsi sapientissimus Salomon protestetur, Adolefcens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea; In fordibus tamen in nutritos, ad veræ pietatis semitas reuocauit, vt vbi abundauit delictum, superabundaret & gratia.

Religionum sanctissimarum primi Fundatores, præclari operis laudem apud posteros meruerunt & habent; sed vt tabula rasa, quosuis facile colores recipit, vitata non item: sic mollia adolescentum ingenia, dum Religionis desiderio properant, facile monenti obsecundant. At qui in profunda malorum prolapsi sunt, quorum ceruix induruit, quos malitia possedit, qui emendari renuunt quis euincat? Tua hæc *Reuerendissime Præsul* LOHELLI laus est. Tu quæ hominibus impossibilia videntur, Numinis adiutorio peregisti. Te Præmonstratensem alterum Fundatorem, Inclytum hoc Bohemiæ Regnum & incorporatæ Prouinciæ iure salutant & venerantur.

Quod si ego hinc Oratorum more dictionis elegantiam sectari, aut verborum flosculis operi  
tanto

tanto lucem addere velim; campos intueor, qui exercitatissimum fatigent. Et quid interest? *Reuerendissimus Pater noster LOHELIVS*, opere quàm sermone potentior erat, licet & in hoc totus mellifluus: sic & rem ipsam quam dictiones compositas, aut ex commentanolo collectas sententias mirari vos condecet. Præclaris itaque visitationum successibus enarrandis non immorror.

Ad angustias huius desolati olim Monasterij *Strahouiensis* redeo, inter quas ille positus, etsi vix superestet, quod corporis sui necessitatibus impenderet, adeò tamen affluenter egentibus diuidebat, vt audacter affirmem, *Reuerendissimum Patrem IOANNEM LOHELIVM Abbatem Strahouiensem* plura cõtulisse in pauperes, quàm in Monasterij redditibus computârit. Non confundor AA. Plura cœlo dignissimum Prælatum in egenorum solatia distribuisse, quam in Monasterij redditibus computârit, repeto, rebus occulto semper fœnore in maius se diffundentibus. Id quod Salomon ait, qui dat pauperi, non indigebit, implebuntur horrea eius saturitate, & vino  
torcu-

torcularia redundabunt. Mira dicturus sum. Testem DEVM appellat Reuerendissimus Prælatuſ noster, quod non mentiar, nec quicquam effingam. Indulgete sodes vt ex ordine enarrem. Raro quadraginta vel quinquaginta daleri Magno Abbati nostro supererant, quos (nisi in vrgentiſſimas neceſſitates ſepoſitos) per manus pauperum in cœleſtes theſauros deferri non ſollicituſ ſtatim curaret.

Contingit vt die quâdam domum è prædijs redux, occurrenti ſatiſfacturuſ neceſſitati arculam referaret. Et ecce, ſaccuſ, capax ſatis, daleris plenuſ in obuias manuſ incidit. Miſericordiſſimuſ Pater, obſtupefactuſ ſubſtitit, mox recollectior miratur. Hunc Reuerendiſſimuſ Abbatem noſtrum è Conuentu accerſit, & ingrediendi cubiculuſ, benè precatuſ, ſubridens & arculae digito intendens; Quid, inquit, in armariolo meo tibi negotij fuit? Cumquæ oculiſ in bonum Patrem ſublatis, planè reſponderet, ſe nunquam locuſ introſpexiſſe, tantuſ abeſſe, vt quicquam diſponere præſumpſerit. Iſ, in ſtare & ſerio vrgere vt diceret: proteſtabatur è Conuentu accerſituſ

T & igna-

& ignarus quid ageretur, innocentem se postulari. Vt Reuerendissimus noster LOHELIVS candorem aduertit, Monasterij Prouisorem intrare iubet, & interrogationem repetit. Qui cum lingua, oculis, corporis compositione, peregrinum se in omnibus testaretur, & in eodem iterum atque iterum commonitus perstaret: Vt libet, inquit, certus sum me saccum hunc daleris solidis onustum non deposuisse. Itaque quod sic è facili datur accepto, & in necessarios vsus diuido. Exin in pauperum necessitates subleuandas partitus est, neque vnâ id vice tantum euenisse crediderim. Alio tempore, dum sollicitus necessaria cogitaret, bos Hungaricus è vinea Monasterio contigua descendit: asseruari hunc iussit in multos dies, quin & proclamari & percontari diligenter, si quis errantem fortè requireret. Vt cælitus sibi datum aduertit, gratias agens in vsus distribuit.

Plura sunt eiusdem argumenti diuinæ prouidentiae opera, quibus bonitati *Reuerendissimi P. LOHELII* præpotens DEVS attestatus est. Quæ igitur hic largâ manu dedit è cœlo, liberalissimè  
semper

femper in pauperes, Abbas Strahouienſis digniſſimus refudit.

Vidimus certè nos eundem ante pedes pauperum proſtratum, eoſdem lauare, crinibus, linteo, ore tergere & oſculari, non vni, non ſemel in anno, ſed quinque in honorem quinque ſanctiſſimorum CHRISTI V ulnerum, ſeptimanis ſingulis, quos prandio dein reſectos, & eleëmofynâ recreatos dimittebat.

Quãdam vice dum curru vnâ, cum B. Patre Religioſus loci huius Profeſſus pergeret, pauperibus eleëmofynâ petentibus diſtribuit, quę ſuperabãt. Incurrit alius & importunus ſtipem orat, excuſat blande nihil ad manus eſſe, alio ſe tẽpore libenter daturum. Hoc digreſſo Religioſus quem dixi, verbum aliquod ſciſcitabatur, cui reſponſum non dedit, ſed ſilentio aliquo interpoſito: Quid eſt, inquit, quod loquebaris, occupatior reſpondere non poteram, pauperi enim prius tribuendum erat.

Frater qui etiamnum ſupereſt, oculis illum ſublatis intueatur: & aureo verbo miſericors Pater ſubiungit, *Conſuetudo hæc mihi inuariabilis, ut*

T 2 *omni*



*omni petenti, si facultas adsit, tribuam: aut si egestas prohibet, in cuiuslibet auxilium ad Patrem misericordiarum, suspirans, Pater & Ave. recitem.* Itanè? Consuetudo hæc tibi inuariabilis Sancte Pater? ò consuetudinem supremis laudibus, albo calculo, æternâ memoriâ dignam, dignam quam omnis ætas, omnis sexus, omnis omnium sæculorum status imitetur. Gloria itaque Sancti Patris nostri LOHELII hæc est: *Eleëmofynas illius, enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum.* Non erat ei verbum acceptius, quàm quod eleëmofynæ & misericordiæ retributionem testabatur: non erat ei exercitium iucundiùs nec familiariùs eo, quod in solatium pauperum agebatur. Quin & tanto huius desiderio æstuabat, vt noctibus & diebus idem cogitaret & ageret.

Mediâ nocte intensissimo sæuiente frigore, commotis misericordiæ visceribus, clam lignorum fascis contulit, onera quibus vix ferendo esset, in senile dorsum imposuit, & extra Monasterium progressus, ante fores pauperum locauit, vt surgentes quod necessitati mederetur colligerent.

Supra

Supra fidem hæc esse dicitis AA. Hem omnes vos cælestium spirituum Ordines in testimonium voco. Vidistis properantem, estis iocundati spectaculo, redeuntem comitati. Quod olim Raphaël Angelus, obtulistis orationes, quas cum lachrymis fundebat sanctus Senex, eadem ieiunij & eleëmofynæ contextu preciosissimo digniores. Vt lætæ segetes & vberes agri culmis & aristis subinde luxuriant, sic mens Patris nostri LOHELII plena virtutibus sanctarum adinventionum redundat abundantia. Omnem aëris inclementiam, corporis incommoda, temporarium dispendium, in lucro reputat, etiam plus ultra quàm Apostolus velit transgressus, vt alij sit remissio, sibi tribulatio.

Quid censetis AA? quam dulci amoris amplexu, nunc dignatur Beatissimum hunc & admirabilem *P. nostrum Principem & Archiepiscopum Bohemiae*, magnus ille Cœli Imperator? Olim vestem in ostentationem quàm pauperi Beatus Turonensium Antistes diuiserat, inter Angelorum miriades proferebat. Maiora sunt quæ refero.

Reuerendissimus Præsul Monasterij Strahouienfis submissâ ceruice, vacillantibus membris, fâsce lignorum, quæ robustiorem fatigaret sublato, in filiorum suorum solatiū progreditur. ô spectaculum iucundum admirandum! Rediuius noster Iob inclamat: Si oculos viduæ expectare feci, si negavi quod volebāt pauperibus, si comedi buccellam meā solus, & non comedit pupillus ex illa, humerus meus à iunctura sua cadat.

Mensæ domi suæ nunquam assedit, quin selectissima per manus adstantium famulorum, deferenda egentibus & infirmis partiretur.

Dico numquam assedit nisi hoc opere iocundatus, neque mentior, plurimi super sunt qui testimonium dicent. Vestiuit nudos, redemit captiuos, visitauit infirmos, mortuos sepeliuit.

Non laboro verborum ambitu Auditores, nihil amplifico, nihil alleuo, sed decurro per capita, & nudas rerum ab ipso gestarum summas attingo. Mirantur tamen hæc omnes, mirantur dico etiam, negligenter effusa; plus mirarentur si qui eum propius introspicerent, & eas virtutes intuerentur, quarum præsidijs munitus, tot in-

signes

fignes Laureas, tam multa decora consecutus est. Viderent os illud tam probum, tam facundum, tam modestum. occurreret illa tracta de cælo species, verecundia frontis, totiusque corporis vigor: demulceret summa festiuitas animi & alacritas: deuotissimus oculorum ardor inflammaret, raperet columbina simplicitas: prudentia serpentina doceret. Non potuit diutius hæc ardens candela sub modio abscondi, sed DEVS illam candelabro imponi iussit, vt omnibus non tantum qui propè, sed & qui longè erant, luceret, & iret vt de virtute in virtutem, sic de dignitate in dignitatem.

Quamobrem postquam viginti sex annis Abbatibus & Visitatoris partes, admirabili industriâ, & magno cum fructu executus esset, simul etiam Suffraganeatus dignitatem & curas, annis decem sustinuisset, Archiepiscopatus Pragensis Adiutor, & mox Archiepiscopus ipse designatur. An ambijt? An cuiusquam fauorem sollicitauit? An suffragium alicuius mercatus est? ô Pastor bone, Vidit DEVS lachrymas tuas, quæ nostrorum oculatis testibus, ex Aula reducis, vt Augustissimi

Mat-

Matthiæ decreto Archiepiscopus audiebas, per ora voluebantur nec gemitus tui, nec suspiria illum fefellerunt, iuxta quem omne desiderium nostrum. Querebatur se indignum, ætate iam prouectiorem, nec tantæ dignitati ingenio vel eruditione parem. Sed merebatur esse negando, quòd esse nolebat, eòque dignior erat, quò se clamabat indignum.

Cæterum quantus ille & quàm magnus Archiepiscopus fedit? Omnes in illo virtutes confederatæ lucebant, vt Angelus Domini exercituum, in verbis & actionibus dulcore plenus procedebat. Effusus vt in omni vita sua in CHRISTI pauperes, vt lutum pecunias habuit, & mirari se vehementer subinde repetebat, à qua causa aurum & argentum homines æstimarent. Quàm benignus ille! Dignitate prætergressus omnes, omnibus deferebat. Quàm lenis & dulcis! In nullius vnquam vindictam exarsit, in nullum contumelias & opprobria iecit. Si poenas quandoq; in transgressores decernere interesset, timidè pronuntiauit, sibi acerbiores quàm ipsis deprehensis castigationem existimans: præclaris-

clarissima hæc Iustitiæ pars in illo eluxit, quæ  
 odisse vitia, hominem dilexisse comprobat.  
 Quanta DEO benedicente potuit! An commem-  
 morare iuuat, quòd Capitulo Pragenfi liberam  
 Præpositi electionem (quem alias Rex nomina-  
 bat) restituerit, eidemque primus præfederit?  
 quòd Augustam Imperatricem *Annam* in Bo-  
 hemiæ Reginam suâ manu consecrarit? Quod  
 eiusdem inclyti Regni Diadema *Ferdinando* no-  
 stro Victori & Triumphatori fœlicissimo impo-  
 fuerit? Votum infero. Vt crescat Victoriosissi-  
 mus Imperator & Rex noster *Ferdinandus*, in  
 mille millia, & possideat porrò semen eius portas  
 inimicorum suorum.

Quod si nunc fœlicitati *Illustrissimi Princi-  
 pis nostri LOHELII*, pietatem in DEVM, & man-  
 fuetudinem adnectam, alterum Moysen produ-  
 xero, quem vt diuini honoris flagrantem noui-  
 mus, sic mitissimum inter omnes homines Scri-  
 pturæ testimonio veneramur.

Certè *Illustrissimus Pater noster*, in trienna-  
 lis exilij deserto circumiens, nil aliud, quàm pes-  
 sumdari diuinum honorem, & iugiter totâ die  
 V nomen

nomen Domini blasphemari lamentabatur.

Ad diuinam opem vnicum sibi & singulare semper præsidium confugit: vt se rediuuio Moyse manus ad omnipotentem leuante; integer item *Iosue Cesar Ferdinandus Secundus* instaret vinceret, hæreticæ belluæ Christiani nominis hosti fœderatam potentiam dissiparet, pedibus suis scabellum substerneret, protereret. In noctibus idem semper egit, & diebus.

Meministis credo, quòd vnâ vice corpore Viennæ manens, spiritu Pragam translatus sit: & post nefandam Cathedralis Ecclesiæ violationem, Missarum solemnia, concinentibus organis & Choro, quem *Sancti Bohemia Patroni* occupabant, peregerit. Nonne vna noctium earum, quas ille Domino in precibus & lachrymis sacrificabat, hæc quæ dico reuelauit? In signum penetrâsse iam nubes, & appropinquâsse conspectui Altissimi iusti supplicationem assiduam. Iuramento adstricti testes veritatem edicere iussi sunt, ab ipso Friderico Palatino. Quin & nobis sollicitè interrogantibus enarrârunt. Ab illa eadem hora, ad hodiernam vsque melioribus  
semper

semper successibus recreati sumus. Processit Serenissimus Dux Bauariæ *Maximilianus*. Triumphauit *Augustissimus Imperator Ferdinandus*, & (ne per partes transeam) dissipata est malignantium & perfidorum omnium rebellio. Benedictus DEVS, & Pater Domini nostri IESU CHRISTI, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, neque despexit humilitatem deprecantis *Illustrissimi Principis Reuerendissimi Patris IOANNIS LOHELII nostri*.

O metamorphosin singularem! (si digredi paululum indulgetis) Pertinet enim ad securitatem omnium seculorum, vt ea in Annales relata, memoriae posterorum inhærescant. Vt si quis vquam desiderio in nefaria vota properant, monumentis nostrorum temporum recensitis se corrigat. Si quis Regali quandoque purpurâ ornari gestiet, *Fridericus Palatinus*, vt Horatiana quondam Cornicula furtiuus nudata coloribus ei occurrat. Si quis aurum gemma que alieni Regni pedibus suis substerni volet, *Fridericus* ei pauper & fugiens obuersetur. Si quis non vocatus imponere capiti Diadema deliberabit, *Fridericum*



ricum Electoratu priuatum, & è ditione hæreditaria vagum cogitet. Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.

Ereptum alienas pecunias venerat; perdidit quas habuit, Sanctorum Reliquias Sepulchris eiicere non erubuit & conculcare; Dignitate simul & hæreditate paternâ spoliatus est.

Expellere Penatibus pijsimum Imperatorem *Ferdinandum*, totumque terris Catholicum agmen statuit; Suis exturbatus, spectet nunc paria præmio damna, nec maiores spes quam metus habeat, timeatque quantum timebatur.

Exultabat interim *Reuerendissimi Archiepiscopi Principis & Patris nostri* Spiritus in Deo Salutari suo, & nihil cunctatus reditum disponebat in Sedem suam, currebatque in amplexus ouium suarum. Quis bonorum non properauit, vt benedictam illius faciem primus intueretur? Ibant per ora boni Senis & gregis in occursum festinantis lachrymæ his salutare, illi gloriosæ: Lachrymæ, inquam, non doloris sed pietatis & gaudij.

Ex ordine quæ redux in gloriam præpotentis

DEI

DEI egerit, quantâ sedulitate porrò vniuerso gregi attenderit, quantâ cum dignitate in ista luce, in oculis vestris, in vestro conspectu versatus sit, non enarro. Maximis saltem rebus digitum intendo.

Iacebant per Vniuersum Bohemiæ Regnum expoliatae redditibus Ecclesiæ, introierant lupi rapaces non parcentes gregi, longi temporis præscriptione proteruiore. Hem magna indignitas!

Nemo hæctenus manum in auxilium porrexit. Noster Matathias Illustrissimus Princeps Archiepiscopus, DEO & Cæsare suffragantibus, huius Hydræ capita generoso impetu refecuit, postliminiò quasi Ius Ecclesiarum in vnum Archiepiscopum referens.

Iacebat & ipsius Archiepiscopatus gloria, non suppetebat, quod in necessarios vsus dispensaretur, nisi aliunde adflueret. Rationes dixit, & impetrauit Bohemiæ Lumen LOHELIVS, vt largâ manu, liberalissimus Cæsar suffectura decerneret, & viginti quatuor dalerorum millibus, annuos redditus adaugeret.

Incedebant hæretici Ministri, sæculorum

scorpij, grandibus supercilijs, per vicos, oppida,  
& ciuitates Bohemiæ virus intimabant suum,  
quod properaret in incauta viscera.

Infurrexit vnus post b. nã sæcula, *Reuerendis-*  
*simus & Illustrissimus Princeps & Pater no-*  
*ster* LOHELIVS, fidelissimus Pastor, in Eriman-  
thiosistos Apros, Vineam Domini, tam immani  
morsu vastantes. Orauit Triumphantem Cæsa-  
rem *Ferdinandum*, vt qui vincere DEO iuuante  
potuisset, & pro eiusdem gloria, victoriã benè  
vti non negligere; abigeret lupos istos, hosti-  
lem nectum, etiamnum diducentes, & elimina-  
ret proteritiæ, periurij, rebellionis, & omnium sec-  
lerum authores. Orauit & exorauit. Bellua pro-  
scriptæ profugerunt, nunquam (quod misericor-  
dissimus IESVS faxit) reuerture, vt sit in posterum  
in Regno Bohemiæ credentium cor vnum &  
anima vna in DEO. Inopem me copia facit.

Per medias niues desideratissimus Pater no-  
ster, inuia rupit, & semitam adinuenit. Funda-  
menta posuit, quibus securè Reuerendissimus &  
Illustrissimus Successor inædificet.

Et illas ille duxit, per quas aquæ sapientiæ, nunc  
in po-

in populi salutem fluant. Semen iecit, quod (nisi culturâ destituatur) fructum luxuriet. Omnia quæcunque voluit, fecit, & foeliciter euenerunt.

Futurorum etiam præsciis, non rarò ventura præmonuit. Inerat enim illi Prophetiæ spiritus, quòd claris testatisque narrationibus adstruere, facile mihi foret AA. sed nolim in species descendere, ne simpliciorum animas, vel in diuersa distraham, vel omninò conturbem.

Macte virtute, cuius tam sancta totius vitæ ratio, qualis finis erit? ô miserabilis conditio! & sine CHRISTO vanum omne quod viuimus! Quid te subtrahis? quid tergiuersaris oratio? quasi enim mortem illius differre possim, & vitam facere longiorem, ita timeo ad vltimum peruenire. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quasi flos agri. Vbi nunc serena, illa facies? vbi totius corporis dignitas, quâ veluti pulchro indumento pulchritudo animæ vestiebatur.

Marcescebat, proh dolor! flante austro Liliū, & purpura violæ in pallorem sensim migrabat: cumque calor stomachi deficeret, nec quicquam solidioris cibi admitteret ultra, lasso anhelitu,  
tristes

tristes filios suos Strahouienses accersitos conso-  
labatur, reditumque Reuerendissimi Abbatis  
nostri (quem viuens Deo eidem benedicente di-  
lexit) per litteras accelerari vrgebat, cætera profu-  
tura testamento sanciens.

Ah ah, AA: singultus interrumpit vocem, &  
hærentem linguam viscera commota vix laxant,  
verba non inuenio, quæ quòd animus dictat, te-  
stentur. Vtinam ò vtinam Tu Reuerendissime  
Præsul noster, ex nunc exurgeres, & in hanc di-  
ctationis meæ palæstram explicaturus, quæ redi-  
tum tuum subsecuta sunt, ingrederere. Amabo!  
Quo affectu non exprimeres dulcissimos illos  
amplexus, suauissimum illud osculum, & perfu-  
sas gaudiosis lachrymis gratias, quas Deo agebat  
te viso, signa perseverantis in te amoris! Quam  
venustis & optimè distinctis coloribus genero-  
sum Athletæ CHRISTI agonem non delineares?  
Referres vtique quomodo inexpugnabile scu-  
rum fidei præferens, omnibus Ecclesiæ Sacra-  
mentis, velut cœlestibus armis munitus, ad te  
conuersus dixerit, *Ah quàm vellem mox mori!*  
Et tibi consolanti responderit: *Non Fili, vt ex-  
istimas,*

*istimas, quòd dolorum id impatiètiâ velim, sed quod desiderio videre desiderem dulcissimum IESVM meum.* Quàm grandi ducereris stupore, & moerens gauderes, Principem Archiepiscopum, tam intrepidè in mortem prospicientem, vt etiam luctante animâ nostri recordaretur. *Nemo, inquit, cum vitâ functus fuero, corpus meum lauet, nisi qui lectum meum cingunt, Filij mei Strabouenses.* Nonne extollerès vehementer, & omni elogio maius dicerès, quòd eundem illum animum, quem in omni vita gesserat, retinuerit etiam moriens, id est, fortem atque inuictum?

Corporis incolumitate stante, CHRISTVS ab eius ore numquam abfuit: omnis eius ætas, vnum erat continuatum pietatis exercitium. Numquam tam ardua interueniebant negotia, vt eum à recitatione Horarum Canoniarum remorarentur. Quotidiè Sacrosancta mysteria tractabat. Et domi & in itinere constitutus, in Ecclesiam & quæcunque loca transiens, nisi necessario detineretur colloquio, semper in orationes, omnibus quotquot illum nôrunt conscijs

X effu-

effusus erat. Lectulo doloris sui affixus, num declinavit? numquid alienum insonuit? Audite Viri Ornatissimi. Audite rem admirandam, & ipsorum Medicorum iudicio humanas vires penitus excedentem.

Cessarat iam arteriarum pulsus, emortua languebant membra, suffusi erant oculi, cum ille nihilominus imaginem Crucifixi, vtraque manu prehensans, dulcissimâ & distinctâ voce, cum multo suspirio precatus, vt peccatorum ipsius immemor DEVS, per merita Vnigeniti Filij sui, in magnæ quietis locum, animam suam transferret.

Deinde nullâ interiectâ morâ, benedictum ardentem cereum, inuiolatæ ab ipso Baptismatis fonte fidei testimonium, summâ spiritus fortitudine & immotâ mente tenebat. Orabamus nos Litanias de gloriosissimo nomine IESV: cuius amore singulariter semper flagrârat. Ille voces nostras prosequens, emortuum pectus incessanter tundeat. Nobis etiam per interualla quiescentibus, inuictû ille ab oratione spiritum non relaxabat; dulcissimum IESVM suum, B. MARIE Virgi-

Virginis nomen, & Sanctorum omnium Patrocinium, tantâ dulcedine ingeminans, vt nouas lachrymas fingulæ propemodum syllabæ nobis elicerent.

His in stuporem abducta mors, oblita violentiæ, ad vltimum vsque spiritum fensum in eo non fregit, nec vllum membrum contraxit.

Quamobrem non potuit homo quietiùs indormire, quàm *Illustrissimus & Reuerendissimus Princeps IOANNES LOHELIVS, Archiepiscopus Pragensis, desideratissimus Pater noster, quadraginta sex annorum Sacerdos, moriebatur.* Eheu! Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea, hæc recolens in corde meo. Versus est in luctum Chorus noster: & contenebrati sunt oculi nostri. O me foelicem cui his interesse concessum est! O beatos nos, iterùm iterumque beatos, quibus Sanctissimi Præsulis Reliquias lauare, tergere, osculari, Candidissimo Premonstratensium Habitu vestire, Pontificalibus vltimis, licuit exornare. Pretiosa hæc fuit AA. mors in conspectu Domini. Bonum certamen certauit Amantissimus Pater noster LOHELIVS, cursum



consummauit, fidem seruauit, repositâ nunc frui-  
tur coronâ, quam repromiserat ei CHRISTVS IE-  
SVS iustus Iudex.

*Beati pauperes spiritu.* Amabo, an non Beatus  
LOHELIVS, qui vt CHRISTVM lucrifaceret, omnia  
velut stercora reputauit, qui peripsa omniû esse  
amore CHRISTI nō exhorruit? *Beati mites.* Quid  
opus est verbis? *Beati qui lugent.* Fœlices LOHE-  
LII lachrymæ, & nobis salutare. In mari hoc ru-  
bro perierunt inimici nostri. His adiutus præsidij  
*Inuictissimus Ferdinandus* triumphat. *Beati qui*  
*esuriunt & sitiunt iustitiam.* O Flos Pontificum  
LOHELI, & priuatis commodis tuis detrahi vole-  
bas, Pontificijs etiam dispensationibus dignè re-  
clamans, vt iustitiæ ordine seruato, suum quisq;  
possideret. *Beati misericordes.* Vir misericordia-  
rum LOHELIVS, cæcorum baculus, esurientium  
cibus, spes miserorum, solamen lugentium, mor-  
tuorum vltima voluntas. *Beati mundo corde.*  
Tibi ô LOHELI, legitima semper contritio, quoti-  
diana ferme confessio, & iusta fuit satisfactio.  
*Beati pacifici.* Inconcussa LOHELIO nostro pax  
constabat; cum DEO, Proximo, semetipso. Effer-  
uescen-

uescentes Leonum instar, mirâ dulcedine, rarâ metamorphosi, mansuetissimos velut agnos dimittebat: quin & cum his, qui oderant pacem erat pacificus. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.* Illustrissimus Pater noster LOHELIVS, per opprobria, vincula, carceres, pro gloria CNRISTI IESV agonizauit, & exilium pro Fide Catholica lætabundus subiuit, sustinuit, superauit.


Eia nunc AA. posito mœrore lætemur, & vox exultationis resonet in ore nostro. Potens enim nos Patronus ad cœlestem Curiam, & fidelis processit Aduocatus: cuius & feruentissima Charitas nequit obliuisci Filiorum, & probata Sanctitas, obtinebit gratiam apud DEVM. Illa etenim non est exinanita, nec imminuta quidem: Porro ad ipsum fontem æternæ Charitatis iam procumbit, pleno hauriensore, cuius hîc oberrans stillicidia sitiebat. Immerfus nunc est, in illam diuinæ pietatis abyssum, cuius abundantia suauitatis memoriam admirabili eructare solebat affectu, & fruitur illis bonis, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt.

Pater mi, Pater mi, currus Israël, & Auriga eius.

Cæterum Vobis Auditores cum Candidis Ordinis Candidissimi Prælatis Reuerendissimus Abbas noster, totusque Venerabilis Conuentus gratias agit quantas quantas potest: nec laudes vestras dissimulat, quod tantâ pietate, magnaque frequentia, tanti Principis & Patris nostri funus, & hunc præcipuè diem ornandum duxistis. Beneficium hoc Ordini Candidissimo Præmonstratensium, nobisque orphanis impensum, DEVS Opt. Max. omnibus & singulis magnâ benedictione retribuat. Nec plura subiungo.

*In pace factus est locus eius, & habitatio eius in sancta Sion.*

DIXI.



QVÆDAM NOTANDA.

**H**ACTENVS Laudatione hâc funebri nonnulla gestorum Ill.<sup>mi</sup> Viri expressit R. D. Benedictus Monasteriensis, quorundam autem summa tantum capita perstrinxit. Fecimus & nos Inclyti viri celebrem

brem mentionem in HAGIOLOGIO nostro ad 2. Nouembris. Item ad 25. Iunij in Natali B. HENRICI Olomucensis Episcopi Notatione ibidem tertiâ. Sed & in Vita S. NORBERTI tribus libris per nos editâ honorificam digressionem fecimus in laudem Sanctissimi Viri iam tum Cælo non ita pridem recepti, lib. 3. cap. 12. §. 4. Meminit & eiusdem viri etiamnum tum viuentis in Optica sua Regularium admodum Reuerendus D. Seruatius de Lairvelz S. MARIE Maioris Muscipontana Ord. Præmonst. Abbas, nec non Reuerendissimi Generalis in Communitate antiqui rigoris & alibi Vicarius. Quin & R. admodum Dominus Aubertus Miræus Cathedralis Ecclesia Antuerpiensis Decanus in Chronico suo Præmonstratensi ad annum 1126. ex rescripto quodam Reuerendi D. Panhausen Steinfeldiensis Abbatis de LOHELIO quadam præclara scribit.

Qua autem in hac Laudatione funebri superius innuitur Similitudo Exempli S. Honorati, ea sic se habet, ut mihi per literas significauit D. Benedictus, cuius hac sunt verba:

Olim

Olim Fratres diebus Mercurij carnes comedebant: obambulans Novitius adhuc LOHELIVS tali die in recreatione circa Monasterij piscinam, ingemiscens religiosam cogitabat abstinentiam, eamq; tali loco commode servari posse assererat. Ludendo adstantes sermonem responderunt. Omnino, DEVS Dominationi vestra (ironia est) mox pisces dabit. Dictum factum. Prosilijt ex profundo in altam ripam, ante pedes Fratris LOHELII Lucius longitudinis mira, Fratribus cum stupore & gaudio eundem excipientibus.

Iam Archiepiscopus, cum venisset simili abstinentia die in pradium, non inuenit quo Canonicum Pragensem hospitem tractaret, iubet ire pro recreatione aliquantulum piscatum. Conscendit cymbam cum Canonico Fr. Sacellanus: in altum parumper progressis, impetu in cymbam insilit Carpio, & ipse hospitibus sufficiens; nec ultra progressi, dono DEI gauisi sunt. Viuit uterque.

Vt autem constet quam se Sanctorum suorum votis & desideriis facilem inclinet DEVS, quod in Sancto Minorum Patre Francisco & pluri-

plurimis aliis S.S. obseruare est; eecum tibi aliud.

Ascendit aliquando deficiente vere ex Archiepiscopali residentia ad Strahouiense Monasterium, desiderans valedicentem audire Philomelam. Erat vespertinum tempus, negabant astantes fore, ut illa occineret. Optimo Patre in voto perseverante, aduolat Philomela, arido stipiti mensa opposito insidet, incundissime cantillat tribus repetitis vicibus. Obstupuit simul cum ceteris hospitibus Admodum Reuerendus noster Montis Sion Abbas, & ipsemet Illustrissimus Pater tacuit: tandem ad auiculam conuersus, inquit Germanice: Ei du liebes Vögelein. Hac velut benedictione accepta auolauit illa, hic mox surgens domum regressus est. Hac pauca de multis attexuisse suffecerit: donec Gesta eius plenius descripta aliquando publicentur.

Coronidis loco subiungo Sex Anagrammatismos, quos nuper ingeniose Inchyti Viri Sancta memoria cecinit V. D. F. CORNELIVS POLYCARPVS DE HERTOGHE, in S. Michaële Canonicus & Philosophia Professor: eosdemq; tanquam totide Tabellas Votiuas Immortalis gloria eius Tholo suffigimus.

Y

IOAN-

I.

IOANNES LOHELIVS.

Anagramma

EN IONAS LOHELIVS.

**M**ittitur in Niniven Divina Nuncius ira;  
 At surgit ille ut fugiat à facie Dei:  
 Quo properas demens Vates fugitive Tonantis?  
 Credisne IONA per mare evadi Deum?  
 Falleris: ô caca mentis ludibria! Numen  
 Præsens ubique est & salo, & celo, & solo.  
 In mare demissus natat undis naufragus hospes,  
 Quem vasta ponti mittit in ventrem fera:  
 Captivus, liberq; vago sic carcere Vates,  
 Vnoq; tumulto conditus oberrat salum;  
 Donec ad imperium Domini ventre hospite piscis  
 In aridam evomit hospitem IONAM suum.  
 Prædicat hinc IONAS Divina Nuncius ira,  
 Ieiunioq; Civitas placat Deum.  
 EN IONAS alius, Vatesq; LOHELIVS alter,  
 Qui nil recuset promptus ad nutum Dei:  
 Qui simul ut vidit, quod spreta sit orbita Patræ,  
 Quam quarta sanxit feria abstinentia;

San-

Sancto odio zelos, flagrans, leiunia priscis  
 Consueti patribus predicat IONAS nouus.  
 IONAM alium Mare cognoscit, Fluuuq, salutant,  
 IONÆq, mittunt Lucium natum suum:  
 Exilit ille ab aquis, se in lucem Lucius effert,  
 LOHELIIq, gestiens lambit pedes;  
 Seq, epulis offert Fratrum, IONÆq, LOHELI:  
 Credas, prioris poscit hospitij vices.  
 Credo & snasurus mutus leiunia Testis,  
 Solitamq, Quarta feria abstinentiam;  
 In ventrem hunc IONÆ mittit se piscis, ut huius  
 Aluo receptus induat linguam sibi.

II.

IOANNES LOHELIVS.

Anagramma.

IO, SOLNE, AN HELIVS?

**S**alue io Austriadum, Bohemiaq,  
 Praclarum iubar, inclytumq, lumen;  
 Candidi Ordinis & Clens LOHELI,  
 Candidi Ordinis & decus LOHELI,  
 Archipræsulis Insulâ coruscans;  
 Lux Germanica, Nobilisq, Princeps,

T 2 Lux



*Lux vere aurea, splendidumque sidus.  
 Non tibi Proauique Auique Cera  
 Ornant atria, curribusue stantes  
 Belli fulmina Casaresue Patres:  
 Patrum gloria picta, ficta, inanis  
 Inflat degeneres patrum Nepotes:  
 Tu de lumine proprio coruscas,  
 De virtute tua micas LOHELI.  
 Sed quo nomine te ergo Lux vocabo?  
 Pollucis tibi, Castorisque sordet  
 Lux polluta nimis, minusque casta:  
 Impolluta tua, atque casta vita est.  
 Si nomen tribuo tibi Planeta,  
 Erro; erroribus, omnibusque fixis  
 Maior Lux tibi, cui nec ullus error,  
 Cui fixum propria micare luce.  
 io ergo inclyte vera Lux LOHELI,  
 Nescia alterius micare Luce:  
 io SOL propria vocere Luce,  
 Quem nec Phosphorus antecedit ortu,  
 Quem nec Hesperus occidente claudat.  
 SOLNE sed mage, AN HELIUS voceris?  
 SOLEM io merito, HELIVMq; dico.*

SOL

SOL es *Ausonius micans Latinis;*  
*Graius HELIVS es micans Pelasgis:*  
 Tui Nominis omen hoc LOHELI,  
 Nomen ominis hoc tuum LOHELI:  
 Vivens SOL Latiis iō fuisti,  
 Post mortem (voveo) HELIVS futurus.



## III.

IOANNES LOHELIVS.

Anagramma.

EN SION LAVS HELIO.

**S**Vnt, devicta quibus magnū dedit Africa no-  
 Sunt Asia nomen qui peperere sibi: [men,  
 Pelleus Iuuenis Magnus toto audijt orbe,  
 Orbis cui misero non satis vnus erat:  
 Casaris & Magnus Gener est, & Tullius; ille  
 Bellonā magnus, Tullius ore fluens:  
 Nectantum Magnos fecit sibi stulta vetustas;  
 Est & Gregorius Magnus, & Aurelius.  
 Et verò Magnum quis te neget esse LOHELI,  
 Magna cui virtus Relligioque fuit?

I 3

Ma-

Magna tibi pietas & pauperis atque Tonantis:  
 Magnus IOANNES non merito inde mihi?  
 Omnia magna quidem de te praconia; verum  
 Praecipue EN fulget LAVS tua magna SION:  
 Nobilis illa SION, Ducibusq; Palastria Bohemis,  
 Virtute & meritis irradiata tuis:  
 Omnis in hunc Montem vno tibi cura LOHELI;  
 Peruigilas speculâ hâc nocte dieque SION.  
 I nunc; quare SION cur sit Speculatio dicta;  
 HELIO ab hac Speculâ EN LAVS sua facta SION.

## I V.

IOANNES LOHELIVS.

Anagramma.

SOLON HELIA VENIS.

**H**eu pietas! heu prisca Fides! Calcata iacebat  
 Prisca Patrû pietas, prisca & auita fides;  
 Atque relegata è terris Astræa, Comesque  
 Relligio; & spretus cum pietate Canon:  
 Sacra etiam sacro temerauerat Hæresis ausu  
 Tempia Dei Sanctis, templa sacra Deo.  
 Quis Cato, quis Censor, quis corrigat ista Lycurgus?  
 Aut referat Canones quis Numa, quis sue SOLON?  
 Cerno?

Cerno? Relegatam relegis, religasque LOHELI  
Iustitiam sociâ Relligione SOLON?

NORBERTI AVRELIÛque diu neglecta, SOLONE

Te postliminio est Regula facta redux:  
Proscriptos doluit Canones Ecclesia sacros,

Lexque ipsa hæretico suppeditata pede;  
Sed reduces, per te Canones Ecclesia gaudet,

Lexque ipsa hæretico libera facta iugo.  
Candidus Ordo tibi, tibi lata Bohemia clamat;

Eia VENIS noster Legifer, eia SOLON.  
Nec tantum meritò te clament esse SOLONEM;

HELIA HELIÆ spiritu & ipse VENIS.  
Et Fredericum exul cum coniuge Iezabel Achab  
Fugisti; HELIÆ spiritus ille fuit.

HELIA quoties zelo zelatus es exul  
Pro Domino? HELIÆ spiritus ille fuit.

O quantum, cum lege Altaria diruta cernens,  
Fleuisti? HELIÆ spiritus ille fuit.

O quoties subit illius mihi Noctis imago;  
(O Nox candidior, splendidiorq; die!)

Quando profanatam (carne exule stante Vienna)  
Spiritu es ante Aram visus adesse Praga;

Atq; inter Sanctos Missam celebrasse Bohemos;  
Quod

*Quod nec Sacrilegi, nec Frederice neges?  
Tunc ego te credo raptum curru igneo, equoque  
Igneo: Et HELIÆ currus in igne fuit.  
Ipsa tibi Et tacitè fœcunda pecunia sacco  
Crescit, ut HELIA Vate iubente oleum.  
Restituens ritus sacros, zelansque LOHELI  
HELIA ergo VENIS EN nouus, atque SOLON.*

~~~~~

V.

IOANNES LOHELIVS.

Anagramma.

EN NILE SOL IHOSVA.

Obstupuit NILVS, stupuit Mareotica tellus
Vndas sine undis, Et aqueos muros freti:
Ficta Thyesteæ nemo mihi fercula mensæ,
SOLISVE in ortum cantet auersas rotas:
Vidisti SOLEM IHOSVA pugnante stupentem,
Et tardiozem NILE stupuisti diem.
SOL nouus EN IHOSVA terris fausto omine NILE;
SOL FERDINANDI IHOSVA EN LOHELIVS.
Immoto SOLE in Gabaon, Regum impia casa est
Male fœderata Societas Adomisedec:
Immo-

*Immoto hoc etiã in precibus SOLE, impia fracta est
Male fœderata Pseudoregis Societas :
Ipse Palatinus SOLEM hunc stare ante Tonantem,
Se contra ad aram sensit immotum Praga.
EN CASAR IHOSVA sic SOLE hoc NILE triumphat,
Obediente LOHELII precibus Deo.*

V I.

IOHANNES LOHELIUS.

Anagramma.

HELIUS HELIO OSANN'.

Hic LOHELIUS ille Magnus, ille
Ordinis Niuei Cliens Patronus,
Pastor Catholici Gregis fidelis ;
Ille Pontificum decusq; Duxq; ;
Illustrissimus ille, Principumq;
Princeps ; hereseum ille sempiternus,
Nec placabilis hostis atque Mastyx :
OSANN' (literula unius litura
Vetas inuida gloriam Tonanti?
Excelsi, sine, gloriam Tonantis,
Iesuq; canam Redemptionem)
OSANNA HELIUS HELIO Tonanti.

Z

Con-

Conuersa ad radios sequace vultu
 Dilectum Clytie repulsa Solem,
 Ceu pedissequa bis die salutat:
 Phœbi Cynthia conspicit quadrigas;
 Fratriq₃ obuia, damna lucis Igne
 Fraternali reparat, suosq₂ vultus:
 O Iesu HELIE Luxq₂ vena mundi,
 Te LOHELIVS insequente amore,
 Ceu Solis sequitur Sororq₃, Flosq₃;
 Ceu (dicam mage) Frater ipse Solis,
 Factus HELIVS HELIO tibi alter:
 Iesum moribus, Innocente vita;
 Iesum affectibus omnibusq₂ dictis;
 Iesum noctibus HELIVM, & diebus
 Intuens vigil, & sopore pressus.
 Iesum vnum loquitur, gemit, susurrat;
 Orat, somniat, incubatq₂ Iesu.
 O Iesu! ô Amor! ô Amor beatus;
 Quem nec morbus edax, nec ipsa solvens
 Humana omnia, Mors amara soluit!
 En vt pallidus algidusq₂ vultus,
 Et vena Hippocratis manu notata
 Tota mortua, mortuusq₂ pulsus,

Et

Et Machaone rem stupente multo)

Vita nescia membra, viva soli

Vivunt mellifluis suoque Iesu.

En LOHELIVS ager ore, amore,

Quam desidero (ait) videre Iesum

Et dulcissimum (ait) videre Iesum!

Cumque lumine utroque, Corde fixo,

Et palmâ Crucifixum amante prensans,

Premittit pectore dulce lignum Iesu;

Et tundens sine voce pectus, intus

Clamans murmure dulciore amoris,

Exspirans Animam sibi, suoque

Inspirans Domino Crucique Iesu,

Indormit placido sopore mortis.

Quam vere HELIVS HELIO es LOHELI?

OSANNA modo Gloriam Tonanti,

Iesuque tuo Redemptionem,

Iunctus concinis æterno amore,

OSANNA HELIVS HELIO LOHELI.

F I N I S.

DIPTERIS
SVMMA PRIVILEGII.


PHILIPPI IV. Hispaniarum Regis Catholici & Potentissimi Belgarum Principis Priuilegio cautum est, nequis F. IOANNIS CHRYSOSTOMI VANDERSTERRE in S. Michaële Prioris NATALES SS. Candidissimi Ordinis Præmonstratensis, cum adiuncta LAVDATIONE FVNEBRI Illustrissimi IOANNIS LOHELII, ex eodem Ordine Archiepiscopi Pragensis, præter GERARDI WOLCHATII voluntatem vlllo modo intra sexennium imprimat, aut alibi terrarum impressos in Germaniæ Inferioris ditiones importet, venalesve habeat. Qui secus faxit, confiscatione Librorum, & aliâ graui poenâ mulctabitur, vti latius patet in litteris datis Bruxellæ 11. Aprilis, 1625.


Signat.


STEENHVYSE.


Errata hæc pauca, quæ in nonnulla Exemplaria irreperunt, sic corrigito.


Pag. 112. lin. 16. deprædantibus, *dele*, ti.
Pag. 119. lin. 10. sancti, *lege*, sanctus.
Pag. 167. lin. 17. quedam, *lege*, quodam.
























Thomae
vitalis
de Ramon.
interia.

Th

2315